Asces 1100

Bibliothecae publicae Ratisb.
D.d.d
Ratisb. 15. XII. 68. auctor

MEDULLA PIETATIS.

COLONIAE 1868.
SUMPTIBUS ET TYPIS JOANNIS PETRI BACHEMII.

Prostat apud
J. Spithoever, ROMAE. Burns, Oates & Co., LONDINI.
P. Lethielleux, PARISIIS. Fr. Pustet, NEO-EBORACI.
Fratres C. & N. Benziger, NEO-EBORACI et CINCINNATI.
B. Herder, ARGENTORATI.

MEDULLA PIETATIS.



F. Juenbach inv.t. 124 Raphael fc.

Consummatum est.

Joan. 19, 30.

Eigenthum des Vereins zur Verbreitung relig. Bilder in Düsseldorf.
Seul Dépôt a Paris, chez Schulgen & Schwan, Editeurs, 25, rue St. Sulpice.

MEDULLA PIETATIS CHRISTIANAE

SIVE

LIBELLUS PRECUM

PRO

ADOLESCENTIBUS LITTERARUM STUDIOSIS.

AUCTORE

P. JOSEPHO SCHNEIDER S. J.

EDITIO ALTERA
EMENDATA.

SUPERIORIBUS APPROBANTIBUS.

COLONIAE 1868.

SUMPTIBUS ET TYPIS JOANNIS PETRI BACHEMII.

Consummatum est.

Joan. 19. 30.

MEDULLA PIETATIS CHRISTIANAE

SIVE

LIBELLUS PRECUM

PRO

ADOLESCENTIBUS LITTERARUM STUDIOSIS.

AUCTORE

P. JOSEPHO SCHNEIDER S. J.

EDITIO ALTERA
EMENDATA.

SUPERIORIBUS APPROBANTIBUS.

COLONIAE 1868.

SUMPTIBUS ET TYPIS JOANNIS PETRI BACHEMII.

BIBLIOTECA DE LIMBI SLAVONE BRNO MASARYKOVA

COLONIAE 1868

P. JOSEPHO SCHNEIDER S. J.

ADOLESCENTIBUS LITTERARUM STUDIOSIS

DAS

TIBETISCHE LESEBUCH

MIT

REICHEM LEXIKALISCHEM UNTERSUCHUNGEN

Imprimatur.

Coloniae, 17. Junii 1861.

Vic. Arch. in Spir. Gen.
Dr. Baudri,
Episc. Arethus. i. p.
Dec. Eccl. Metrop.

Reimprimatur.

Coloniae, die 27. Augusti 1868.

Vicarius Archiepiscopalis in Spirit. Generalis.
De mand. spec.
Dr. Broix,
can. eccl. metr.

Imprimatur.

Colonia, 17. Junii 1861.

Vic. Arch. in Spir. Gen.

Dr. Baudri,

Ephor. Archius. I. p.

Dec. Eccl. Metrop.

Reimprimatur.

Coloniae, die 27. Augusti 1868.

Vicarius Archiepiscopalis in Spiritualibus Generalis,

De mand. spec.

Dr. Broix,

Can. eccl. Metr.

OMNIA

Ad

MAIOREM DEI GLORIAM.

TABELLA TEMPORARIA

Anni Dni.	Septuag.	Dies Cinerum.	Pascha.	Ascensio.
1868	9 Febr.	26 Febr.	12 Apr.	21 Maii
1869	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.	6 Maii
1870	13 Febr.	2 Mart.	17 Apr.	26 Maii
1871	5 Febr.	22 Febr.	9 Apr.	18 Maii
1872	28 Jan.	14 Febr.	31 Mart.	9 Maii
1873	9 Febr.	26 Febr.	13 Apr.	22 Maii
1874	1 Febr.	18 Febr	5 Apr.	14 Maii
1875	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.	6 Maii
1876	13 Febr.	1 Mart.	16 Apr.	25 Maii
1877	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.	10 Maii
1878	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.	30 Maii
1879	9 Febr.	26 Febr.	13 Apr.	22 Maii
1880	25 Jan.	11 Febr.	28 Mart.	6 Maii
1881	13 Febr.	2 Mart.	17 Apr.	26 Maii
1882	5 Febr.	22 Febr.	9 Apr.	18 Maii
1883	21 Jan.	7 Febr.	25 Mart.	3 Maii
1884	10 Febr.	27 Febr	13 Apr.	22 Maii
1885	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.	14 Maii
1886	21 Febr.	10 Mart.	25 Apr.	3 Junii
1887	6 Febr.	23 Febr.	10 Apr.	19 Maii
1888	29 Jan.	15 Febr.	1 Apr.	10 Maii
1889	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.	30 Maii
1890	2 Febr.	19 Febr.	6 Apr.	15 Maii
1891	25 Jan.	11 Febr.	29 Mart.	7 Maii
1892	14 Febr.	2 Mart.	17 Apr.	26 Maii

FESTORUM MOBILIUM.

Anni Dni.	Pentec.	Corpus Christi.	Indictio.	Dom. post Pendec.	Prima Dnica. Advent.
1868	31 Maii	11 Junii	11	25	29 Nov.
1869	16 Maii	27 Maii	12	27	28 Nov.
1870	5 Junii	16 Junii	13	24	27 Nov.
1871	28 Maii	8 Junii	14	26	3 Dec.
1872	19 Maii	30 Maii	15	27	1 Dec.
1873	1 Junii	12 Junii	1	25	30 Nov.
1874	24 Maii	4 Junii	2	26	29 Nov.
1875	16 Maii	27 Maii	3	27	28 Nov.
1876	4 Junii	15 Junii	4	25	3 Dec.
1877	20 Maii	31 Maii	5	27	2 Dec.
1878	9 Junii	20 Junii	6	24	1 Dec.
1879	1 Junii	12 Junii	7	25	30 Nov.
1880	16 Maii	27 Maii	8	27	28 Nov.
1881	5 Junii	16 Junii	9	24	27 Nov.
1882	28 Maii	8 Junii	10	26	3 Dec.
1883	13 Maii	24 Maii	11	28	2 Dec.
1884	1 Junii	12 Junii	12	25	30 Nov.
1885	24 Maii	4 Junii	13	26	29 Nov.
1886	13 Junii	24 Junii	14	23	28 Nov.
1887	29 Maii	9 Junii	15	25	27 Nov.
1888	20 Maii	31 Maii	1	27	2 Dec.
1889	9 Junii	20 Junii	2	24	1 Dec.
1890	25 Maii	5 Junii	3	26	30 Nov.
1891	17 Maii	28 Maii	4	27	29 Nov.
1892	5 Junii	16 Junii	5	24	27 Nov.

Januarius.

1 *Circumcisio Domini.*
2 Macarius, Abb.
3 Genovefa, V. et M.
4 Titus, Pauli discipulus.
5 Eduardus, Rex Angliae.
6 *Epiphania Domini.*
7 Lucianus, Presb. et Mart.
8 Eberhardus, Episc. — Gudula, Virgo.
9 Julianus et Basilissa, Martyres.
10 Paulus, primus erem.
11 Hyginus, Papa et M.
12 Reinoldus, Mart.
13 Hilarius, Episc.
14 Felix, Presb.
15 Marius, Abb.
16 Marcellus, Papa et M.
17 Antonius, Abbas.
18 Cathedra Petri Rom.
19 Marius, Marth. Audif. et Abac. Mart.
20 Fabianus et Sebastianus, MM.
21 Agnes, Virgo et Mart.
22 Vincentius, Mart.
23 Joannes Eleemosyn.
24 Bertramus, Abbas — Timotheus, Episc. S. Pauli disc.
25 Conversio S. Pauli Apost.
26 Polycarpus, Episc. M.
27 Joannes Chrysost. Episc. Doct.
28 Carolus Magnus.
29 Franc. Sales., Episc. — Valerius Episc.
30 Aldegundis, Virgo.
31 Marcella, Vidua.

Februarius.

1 Ignatius, Episc. Mart. Brigida, Virgo.
2 *Purificatio B. M. V.*
3 Blasius, Episc. Mart.
4 Rembertus, Episc.
5 Agatha et Adelheidis Virg. Mart.
6 Dorothea, Virg. Mart.
7 Richardus, Rex Angliae — Theodorus, miles Mart.
8 Honoratus, Ep. Conf.
9 Apollonia Virgo M.
10 Wilhelmus, dux — Christianus — Scholastica.
11 Desiderius, Episc, M.
12 Eulalia, Virgo Mart.
13 Castor, Gisbertus C.
14 Valentius, Presb. M.
15 Faustinus et Jovita Mart.
16 Juliana, Virgo Mart.
17 Julianus, Mart.
18 Simeon, Episc. Mart.
19 Mansuetus, Episc.
20 Eucherius, Episc.
21 Eleonora, Virgo.
22 Cathedra Petri Antiochiae.
23 Florentius, Conf.
24 *Mathias Apost. M.*
25 Victorinus cum sociis MM.
26 Alexander, Episc. M.
27 Leander, Episc.
28 Romanus, Abb.

Anno bissextili Februarius est 29. dierum, et festum S. Mathiae celebratur 25. huius.

Martius.

1 Swibertus, Episc.
2 Simplicius, Papa
3 Cunegundis, Imperatrix.
4 Casimirus, Rex.
5 Fridericus, Abbas. — Adrianus, Mart.
6 Evagrius, Episc.
7 Perpetua, Felicitas M. — Thomas Aquin.
8 Philemon et Apollonius, Martyres.
9 Francisca, Vidua.
10 Alexander et Caius, M.
11 Eulogius, Presb. M.
12 Gregorius Magnus, Papa
13 Godefridus. Euphrosina, Virgo.
14 Mathildis Regina.
15 Christophorus M. — Longinus M.
16 Heribertus, Episc.
17 Gertrudis, Virgo.
18 Cyrillus, Episc.
19 *Joseph. Nutr. Christi.*
20 Joachim, Pater B. M. V.
21 Benedictus, Abbas.
22 Catharina Sueca, filia S. Birgittae.
23 Cyriacus.
24 Gabriel. Archangelus.
25 *Annuntiatio B. M. V.*
26 Ludgerus, Episc,
27 Rupertus, Episc.
28 Felix, Episc. — Evergislus.
29 Armogastus, Conf.
30 Quirinus, Mart.
31 Balbina Virgo, S. Quirini filia.

Aprilis.

1 Hugo, Episc.
2 Franciscus de Paula. — Maria Aegyptiaca.
3 Richardus, Episc.
4 Isidorus, Episc.
5 Vincentius Ferrerius.
6 Sixtus, Papa Mart.
7 Tilmanus, M. Hermanus Josephus.
8 Dionysius, Episc.
9 Procorus, Mart.
10 Macarius, Episc. — Apollonius, Mart.
11 Leo I. Papa. — Reinerus, Eremita.
12 Julius, Papa.
13 Hermenegildus, Mart.
14 Tiburtius, Valerianus, Mart. — Ludwina Virgo.
15 Basilissa et Anastasia, Mart.
16 Turibius, Episc.
17 Rudolphus, — M. Anicetus, Papa Mart.
18 Eleutherius, Episc.
19 Wernerus, Mart.
20 Victor, Papa Mart.
21 Anselmus, Episc.
22 Soter, Papa Mart.
23 Georgius, Mart. — Gerardus, Episc.
24 Mellitus, Episc.
25 Marcus, Evangelista et Mart.
26 Cletus, Papa Mart. — Ferdinandus.
27 Anastasius, Papa.
28 Vitalis, Mart.
29 Petrus, Mart.
30 Catharina Senensis, Virgo.

Maius.

1 *Philippus et Jacobus, Apost. M.*
2 Athanasius, Episc.
3 Inventio S. Crucis.
4 Monica, mater S. Augustini. — Amelia, Virg. — Paulinus, Mart.
5 Gothardus, Episc.
6 Joannes ante portam latinam.
7 Stanislaus, Episc. M. Sigismundus, Rex.
8 Apparitio Michaelis.
9 Gregorius, Episc.
10 Gordianus et Epimachus, Mart.
11 Gandulphus, Mart. — Beatrix, Virgo.
12 Nereus et Achilleus, Mart.
13 Servatius, Episc.
14 Bonifacius, Mart.
15 Isidorus, Mart. — Sophia.
16 Peregrinus, Episc.
17 Jodocus, Episc.
18 Ericus, Rex et Mart.
19 Petrus Coel. Pudentiana V. et M.
20 Bernardinus Senens.
21 Constantinus Magnus
22 Romanus, Abbas. — Basiliscus Mart.
23 Desiderius, Episc.
24 Joanna.
25 Urbanus, Papa.
26 Beda presb. — Eleutherius, Papa M.
27 Joannes, Papa Mart.
28 Germanus, Episc.
29 Theodosia, Mart.
30 Felix, Papa M.
31 Petronilla, Virgo.

Junius.

1 Simeon, Conf.
2 Eugenius, Papa. Erasimus, Ep.
3 Clotildis, Reg.
4 Optatus, Episc.
5 Walterus, Mart. — Bonifacius Ep. et Mart.
6 Norbertus, Episc.
7 Robertus, Abb.
8 Medardus, Episc. M.
9 Primus et Felicianus MM. — Vincentius, Levita et M.
10 Margarita, Reg. Vid.
11 Barnabas, Ap. Mart.
12 Antonina, Mart.
13 Antonius de Padua.
14 Basilius Magnus. Elisaeus, Propheta.
15 Vitus, Modestus M.
16 Bertholdus.
17 Reinerus, Conf. — Adolphus Episc.
18 Marcus et Marcellianus, MM.
19 Gervasius et Protasius, MM.
20 Silverius, Papa Mart.
21 Aloysius, Albanus Ep.
22 Paulinus, Ep. — Albinus M. — Achatius cum soc.
23 Agrippina, Virgo M.
24 *Nativ. S. Joann. Bapt.*
25 Prosper Aquitanicus.
26 Joannes et Paulus, MM. — Rudolph., Ep.
27 Ladislaus, Rex — Crescens, Episc. Mart.
28 Leo II. Papa. Irenaeus, Episc. Mart.
29 *Petrus et Paul. A. M.*
30 Pauli commemoratio.

Julius.

1 Rumoldus, Episc.
2 *Visitatio B. M. V.*
3 Heliodorus, Episc.
4 Udalricus, Episc.
5 Numerianus, Episc.
6 Goar, Confess.
7 Willibaldus, Episc.
8 Kilianus, Episc. Mart.
9 Cyrillus, Episc. Mart.
10 Felicitas cum 7. filiis.
11 Pius, Papa Mart.
12 Nabor et Felix, Mart.
13 Anacletus, Papa M.
14 Bonaventura, Episc.
Henricus, Imp. — Isabella, Regina.
15 Apostolorum divisio.
16 Faustus, Mart.
17 Alexius, Conf.
18 Symphorosa cum 7. filiis. — Fridericus Ep. — Odilia, Mart.
19 Arsenius, Abbas.
20 Margaretha, Virgo M. — Volmarus Abbas.
21 Daniel, Propheta.
Praxedis, Virgo Mart.
22 Maria Magdalena.
23 Apollinaris, Episc.
Liborius, Episc.
24 Christina, Virgo Mart.
25 *Jacobus, Apost. Mart.* — Christophorus, Mart.
26 *Anna, mater B. M. V.*
27 Pantaleon, Mart.
28 Innocentius, Papa.
29 Lupus Episc. — Martha Virg.
30 Abdon et Sennen, M.
31 Ignatius, Conf.

Augustus.

1 Petri vincula.
2 Stephanus, Papa M.
(Portiuncula.)
3 Inventio S. Stephani, Protomart.
4 Dominicus, Conf.
5 Dedicatio Mariae ad Nives. — Oswaldus, Rex.
6 Transfiguratio Christi.
7 Donatus, Episc. Mart.
8 Cyriacus, Papa Mart.
9 Romanus, Mart.
10 *Laurentius, Diac. M.*
11 Susanna, Virgo Mart.
— Hermannus. — Tiburtius, Mart.
12 Clara, Virgo.
13 Hippolytus, Mart.
14 Eusebius, Presb.
15 *Assumptio B. M. V.*
16 Rochus, Confess.
Hyacinthus.
17 Sibylla, Virgo.
18 Helena, Imperatrix.
19 Sebaldus, Confess.
20 Bernardus, Abbas.
Stephanus, Rex Hung.
21 Cyriaca, Vidua Mart.
22 Timotheus, Mart.
23 Zachaeus, Episc.
24 *Bartholom. Ap. Mart.*
25 Ludovicus, Rex.
26 Samuel, Proph. — Zephyrinus, Papa Mart.
27 Caesarius, Episc. — Gebhardus, Episc.
28 Augustinus, Episc.
29 Decollatio Joannis Baptistae.
30 Felix et Adauctus. MM.
31 Paulinus, Episc.

September.

1 Aegidius, Abb.
2 Jodocus, Episc.
3 Mansuetus, Episc.
4 Rosalia, Virg. — Irmgardis, Virgo.
5 Victorinus, Episc. M.
6 Zacharias, Propheta.
7 Regina, Virgo Mart.
8 *Nativitas B. M. V.*
9 Gorgonius, Mart.
10 Nicolaus Tolent.
11 Protus et Hyacinthus.
12 Guido. — Winandus.
13 Maternus, Episc.
14 Exaltatio Crucis.
15 Nicomedes, Mart.
16 Impressio stigm. — Cornelius et Cyprianus, Mart.
17 Lambertus, Episc. — Hildegardis, Virgo.
18 Thomas a Villanova.
19 Januarius, Episc. M.
20 Eustachius, Mart.
21 *Matthaeus Ap. M.*
22 Mauritius cum soc. M.
23 Linus, Papa Mart.
24 Gerardus, Episc. M.
25 Cleophas.
26 Cyprianus et Justina, MM.
27 Cosmas et Damian., M.
28 Wenceslaus, Rex M.
29 *Michael Archangelus.*
30 Hieronymus.

October.

1 Remigius, Episc.
2 Leodegarius, Episc.
3 Gerardus, Abbas.
4 Franciscus, Conf.
5 Placidus, M.
6 Bruno, Conf.
7 Marcus, Papa.
8 Birgitta, vidua.
9 Dionysius Areopagita. Sibylla, virgo.
10 Gereon cum sociis M. Franciscus Borgias.
11 Gummarus (Wimmarus), Conf.
12 Maximilianus, Episc.
13 Theophilus, Episc.
14 Burchardus, Episc. Calistus, Papa.
15 Theresia, Virgo.
16 Sigismundus, Rex.
17 Neron, Episc. Mart.
18 Lucas, Evang.
19 Ferdinandus.
20 Wendelinus.
21 Ursula cum 11,000 Virg. Mart.
22 Cordula, Virgo Mart.
23 Severinus, Episc.
24 Evergislus, Episc. M.
25 Crispinus et Crispinianus, MM. — Arnoldus, Mart.
26 Evaristus, Papa.
27 Vincentius.
28 *Simon et Judas, A. M.*
29 Narcissus, Episc. M.
30 Marcellus, Mart.
31 Wolfgangus, Episc.

November.

1 *Festum omnium Sanctorum.*
2 *Commemoratio defunct.* Justus, Mart.
3 Hubertus, Episc.
4 Emericus, Conf. — Carolus Borromaeus.
5 Zacharias et Elisabeth.
6 Leonardus, Conf.
7 Engelbertus, Episc. Willibrordus, Episc.
8 Quatuor coron. fratres.
9 Theodorus, Mil. Mart.
10 Tryphon, Respicius et Nympha MM.
11 Martinus, Episc.
12 Martinus, Papa M.
13 Brictius, Episc. — Stanislaus Kostka.
14 Serapion, Mart.
15 Albertus Magnus. Leopoldus, Archidux Austriae.
16 Edmundus, Episc. — Othmarus, Abbas.
17 Gregorius Thaumaturgus, Episc.
18 Maximus, Episc.
19 Mechtildis, Virgo. — Elisabeth, Landgrav.
20 Simplicius, Episc.
21 *Praesentatio B. M. V.*
22 Caecilia, Virgo Mart. Alphonsus, Rex Portugalliae.
23 Clemens, Papa M.
24 Chrysogonus, Mart.
25 Catharina, Virg. M.
26 Conradus, Episc.
27 Facundus, Mart.
28 Sosthenes, Episc.
29 Saturninus et Sisinius.
30 *Andreas Ap. Mart.*

December.

1 Eligius, Episc.
2 Balbina, Virgo Mart.
3 Franciscus Xaverius.
4 Barbara, Virgo Mart.
5 Crispina, Virgo Mart.
6 Nicolaus, Episc.
7 Ambrosius, Episc.
8 *Immaculata Conceptio B. M. V.*
9 Leocadia, Virgo Mart.
10 Eulalia, Virgo Mart.
11 Damasus, Papa.
12 Adelheidis, Regina.
13 Lucia, Virgo Mart.
14 Nicasius, Episc.
15 Valerianus, Episc.
16 Everhardus, Episc.
17 Lazarus, Episc.
18 Gratianus, Episc.
19 Nemesius, Mart.
20 Ammon, Mart. — Christianus, Episc.
21 *Thomas, Ap. Mart.*
22 Spiridion, Mart.
23 Victoria, Virgo Mart. — Dagobertus, Rex Galliae.
24 Adam et Eva.
25 *Nativitas Christi.* Anastasia Virgo.
26 *Stephan. Protomart.*
27 *Joannes Ap. Evang.*
28 *Innocentes Mart.*
29 David, Proph. — Thomas, Episc. Cantuar.
30 Eugenius, Episc.
31 *Sylvester, Papa.* — Columba, Virgo Mart.

PRECES MATUTINAE.

Dum evigilas vel excitaris: »Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.« Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc et semper et per infinita saecula saeculorum, Amen. Gloria Patri, qui creavit me, gloria Filio, qui redemit me, gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit me.

Dum surgis, forma signum crucis, et dic: In nomine Domini nostri Jesu Christi surgo; ipse mihi benedicat, regat et custodiat me, et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Dum vestes induis: Redde mihi, Pater aeterne, et conserva in me vestem innocentiae, quam in Baptismatè recepi, ne paradiso coelesti excludar. Amen.

Indue me, Jesu Christe, rex gloriae, fragrantibus virtutum tuarum vestimentis, humilitatis scilicet, patientiae, caritatis et castitatis, ut Patris coelestis obtineam benedictionem. Amen.

Orna me, sancte Spiritus, toga polymita donorum tuorum, ut in oculis tuis gratiam inveniam. Amen.

Oratio Dominica. Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.

Salutatio Angelica. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis paccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Symbolum Apostolorum. Credo in Deum, matrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum; qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine; passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus; descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis; ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Praecepta decalogi. 1. Non habebis Deos alienos coram me.

2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

3. Memento, ut diem Sabbati sanctifices.

4. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram.

5. Non occides.

6. Non moechaberis.

7. Non furtum facies.

8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

9. Non concupisces uxorem proximi tui.

10. Nec omnia, quae illius sunt.

Praecepta ecclesiae. 1. Statutos ecclesiae festos dies celebrato.

2. Sacrum Missae officium diebus festis reverenter audito.

3. Indicta certis diebus ieiunia, et a quibusdam cibis abstinentiam observato.

4. Peccata tua sacerdoti approbato singulis annis confitetor.

5. Sacrosanctam Eucharistiam ut minimum semel in anno, idque circa festum Paschae, sumito.

Actus fidei. Firmiter credo et profiteor quidquid Christus docuit, Apostoli praedicarunt, et sancta romana ecclesia credendum proponit, quia tu, Domine, revelasti, veritas aeterna et infallibilis, atque in hac fide et pro hac fide vivere et mori volo et statuo.

Actus spei. Spero in te et a te, mi

Deus, gratiam, gloriam et omnia salutis media; potes enim dare, quia omnipotens es; vis etiam, quia infinite misericors es; dabis autem, quia sicut de promissis tuis, ita etiam de fidelitate tua aeterna persuasum mihi est.

Actus caritatis. O mi Deus! amo te, quia amasti me; sed vel ideo potissimum super omnia amo te, et proximum quemvis propter te, quia tu, summum, unicum et infinitum bonum, omni amore es dignissimus.

Actus contritionis. Amantissime pater! de omnibus peccatis meis doleo ex toto corde meo, quia te, Deum meum, infinitum bonum meum iis tam turpiter offendi. »Ingemisco tanquam reus, culpa rubet vultus meus, supplicanti parce Deus.«

Salve Regina. Salve Regina, mater misericordiae, vita dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exules filii Evae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte; et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens! o pia! o dulcis Virgo Maria!

Indutus aspergas te aqua lustrali, et omni, qua potes, devotione, genuflexus has recita preces:

1. O mi Deus! spes, desiderium, amor

meus es; ameris, glorificeris ab omnibus, in omnibus, super omnia in aeternum. Adoro et veneror te, o sanctissima Trinitas! te glorifico, laudo, benedico, ac me ante thronum majestatis tuae humillime prosterno. Quam bonus hucusque erga me fuisti! Tibi gratias ago pro universis beneficiis tuis, ac praesertim quod me hac nocte custodieris et conservaveris. Quot eheu! hac nocte e cubili suo ad tuum tribunal, indeque ad inferos rapti sunt!

2. O Pater aeterne! tibi me totum et animae vires et corporis sensus et omnia, quae sum et quae habeo, offero. Suscipe, mi Pater, hos novae diei primos amores, eosque incendio amoris Filii tui meritisque conjunge. »Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea, Deus in aeternum.« Ps. 72.

3. Ecce, mi amantissime Jesu! te aspirante firmiter statuo, hodie ardenti corde viam mandatorum tuorum currere, probi christiani partes explere, consueta pietatis officia devote obire, virtutem et praesertim puritatem sectari, universa denique et singula in nomine tuo facere et pati. »Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas!« Ps. 118.

4. O mi Deus, quem amo super omnia! da mihi, servo tuo, cor docile, ut tuam voluntatem hodie in omnibus fideliter im-

pleam; protege me, amantissime Pater, et custodi me ab omni peccato. Malo mori, quam illud peccatum .... iterum committere. Tu, precor, in tot periculis vacillantem praesens robora, qui spopondisti: »Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.« Ps. 90.

5. Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

O Domina mea, sancta Maria, Mater Dei ac mea, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae, hodie et quotidie, et in hora exitus mei animam meam et corpus meum commendo. Omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per merita tua omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique filii voluntatem. — Amen.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, custodi, rege et guberna.

Adeste mihi, o beatorum spirituum agmina; praesertim vos, patroni mei N. N. piis precibus vestris ac meritis servate

me a malis et adiuvate in omnibus bonis. Amen.

In nomine Patris † et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Fiducia in Deum.

In Deo solo spero, * Quod ille vult, hoc volo; * Quod non vult, non desidero, * Non ambio, non horreo; * Sic laeta fluit lux, * Sic nulla premit crux.

Si vult, ut sim beatus, * Conabor esse gratus; * Si contra vult me miserum, * Nec minus ego gratus sum; * Nam solus ille scit, * Quid bonum mihi sit.

Nil iuris in me sorti, * Illudo totus morti, * Divina providentia * Est vitae meae regula; * Si Deus stet pro me, * Quis erit contra me?

Hic labor unus meus, * Ne te offendam Deus, * Labantur coeli sidera, * Solvatur mundi machina, * Nil haec terrebunt me, * Possideo dum te.

Ad quemlibet horae pulsum.

Ultima in mortis hora * Filium pro nobis ora, * Bonam mortem impetra, * Virgo, Mater, Domina!

Centies millies laudetur SS. altaris Sacramentum, ex hoc nunc et usque in saeculum. Amen.

PRECES VESPERTINAE.

1. O sacrosancta Trinitas, quanta fuit tua erga me hucusque bonitas et liberalitas. O Pater aeterne, gratias tibi immensas ago, quia me ad imaginem tuam, et ad salutem aeternam creasti, et in hanc usque horam tam paterne conservasti. Gratias tibi summas habeo, Fili Dei, quia pretioso Sanguine tuo me redemisti, et toties abluisti. Gratias tibi, S. Spiritus, maximas refero, quia me in Baptismo sanctificasti, et ad sanctam ecclesiam catholicam perduxisti.

Infinita laus et gratiarum actio sit tibi, sanctissima Trinitas; quia hodie, omnibusque momentis vitae meae ab innumeris malis me protexisti, et tot beneficiis cumulasti. Quid habeo, mi Deus, quod rependam tibi? Suscipe obsecro, omnia Jesu et Mariae merita, et cum his me ipsum, et omnia mea, in perpetuum laudis et gratitudinis holocaustum.

2. O Pater luminum, per caritatem tuam aeternam erga me obtestor te, ut memoriam mihi renoves, intellectum illumines, voluntatem accendas, gratiamque largiaris agnoscendi, detestandi, emendandi et compensandi omnia peccata mea, negligentias et ingratitudines meas, quibus hodie oculos divinae majestatis tuae offendi, ut deinceps tibi tanquam obedientissimus fi-

lius semper in omnibus actionibus meis placeam.

3. Examen particulare. — Exige ab anima tua rationem, per horas singulas vestigando de peccato seu defectu particulari, a quo emendari cupis. — Expende an statim a somno proposueris diligentem tui custodiam circa istud peccatum aut istum defectum. — Utrum quoties deliquisti dolueris de lapsu. — Defectus semper adnota, et si nullum invenis, adnota bonum hunc successum; deinde confer examina matutina et vespertina diei istius, et diei praecedentis, hebdomadae istius et hebdomadae praecedentis.

Examen generale. — Exige ab anima tua rationem, percursis singulis diei horis, de peccatis cogitatione, verbo, opere et omissione admissis. Vide, quando et quomodo surrexeris; an et qua ratione preces matutinas persolveris; quomodo te gesseris in Missa, in schola, in studiis, in conversatione, in prandio, in coena etc. Vide an et quomodo deliqueris contra Deum — contra proximum — contra te ipsum. Erga Deum, quomodo te habeas in oratione, in examinibus conscientiae, in omni communicatione cum ipso. — Erga superiores, qua sis reverentia et etiam caritate. — Erga condiscipulos, quo animo sis, quomodo dilectionem et unionem animorum serves ac foveas; qua humilitate, qua mansuetudine, qua patientia sis in alienis defectibus ferendis.

4. O Jesu, o Salvator mi! quam ingratum me tot ac tantis tuis beneficiis exhibui! quot nobilissimas horas male impendi! quot meriti aeterni occasiones neglexi!

quot peccata denuo admisi, quorum ne vel unicum quidem pro totius mundi lucro fuisset admittendum! Damno ac detestor negligentiam, malitiamque meam, et doleo, quod animam meam tot naevis macularim, oculisque tuis divinis ingratam foedamque reddiderim. Doleo deinde, mi Jesu, quod iisdem graves poenas incurrerim, et promeruerim supplicia iustitiae et irae tuae. Maxime vero doleo de his et omnibus peccatis meis, quia displicent infinitae sanctitati tuae, quia offendunt summam bonitatem tuam, cui millies teneor et volo perfecte servire, placere, et omnia, quae ipsi displicent, pro viribus evitare.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere mei, quia iniquitatem meam agnosco, et ex intimo corde doleo, quod te, Deum, summum et unicum bonum, unquam offenderim.

5. Iterumne peccabo? corpus et animam meam, vulnera et Sanguinem Christi, coelum et omnia peccando prodigam? non faciam, o sancte Spiritus, non faciam. Abrenuntio et detestor coram te omnia peccata mea, et si, quae feci, adhuc facienda forent, non facerem in aeternum. Hoc praesertim peccatum N., quod gravius te offendit, o Deus! omni, quo possum, modo cavebo. Sed unde mihi vires, proposita haec exsequendi? Novi fragilitatem meam, et naturae corruptae instabilitatem. »Velle

quidem adiacet mihi, sed perficere non invenio.« Ad te igitur confugio, o Spiritus divine! unica spes, et robur animae meae. Omnia possum, si tu me confortes. Statuo et propono, omnia peccata mea, adiuvante gratia tua, corrigere et peccandi occasiones sicut pestem fugere; corrobora me, o Spiritus fortitudinis, et qui dedisti velle, da perficere, per Christum Dominum nostrum.

Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi,
Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Visita, quaesumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle; Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

O Domina mea, sancta Maria etc. *(vide pag. 6.)*

O fidelissime comes, a Deo tutelae meae assignate, protector et defensor, nunquam recedens a latere meo. Quas tibi gratias referam pro fide, amore, innumerisque in me collatis beneficiis? Tu dormienti advigilas, moestum solaris, deiectum erigis, imminentia pericula avertis, futura doces cavere, a peccatis abstrahis, ad bonum impellis, lapsum ad poenitentiam horta-

ris, Deoque concilias; iamdudum fortassis in infernum detrusus fuissem, nisi tuis precibus divinam a me iram avertisses; ne precor, me unquam deseras. Ne in peccata incidam, advigila, et ad virtutes impelle, in adversis solare, in prosperis contine, in periculis tuere, in tentationibus adiuva, ne iis unquam succumbam. Preces et gemitus meos, omniaque pia opera divino conspectui offer, atque effice, ut in gratia ex hac perveniam ad vitam aeternam. Amen.

Quietem capiam, mi Jesu, ut vires corporis restaurem, et divino tuo obsequio aptior fiam. Mi Jesu, quoties respiro per noctem, toties tu a me sis benedictus, uti in coelis Seraphim te benedicunt et Cherubim; mi Jesu, in te credo, mi Jesu, in te spero, mi Jesu, te amo super omnia. Tibi vigilo, tibi dormio, tibi vivo, tibi morior, amantissime Jesu!

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria †.

Dum vestes exuis, recita pro animabus fidelium defunctorum »Pater noster« et »Ave Maria« cum

Psalmo 129. De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud cum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem aeternam dona eis, Domine,
Et lux perpetua luceat eis.

Oremus. Deus, veniae largitor, et humanae salutis amator: quaesumus clementiam tuam, ut nostrae Congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Dum lectum subis: In nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi cubitum eo; ille mihi benedicat custodiat me, et ad vitam perducat aeternam.

In lecto: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

In pace cum Deo et hominibus dormiam et requiescam.

Evigilans mox mentem ad Deum eleva, ut cum Davide possis dicere: „memor fui nocte nominis tui, Domine“; et hujusmodi affectus elice:

1. Laudate Deum, sol et luna: laudate eum omnes stellae et lumen.
2. Benedicite noctes et dies Domino, benedicite lux et tenebrae Domino.
3. O quot religiosorum millia media nocte surgunt ad confitendum Domino! et ego in plumis iaceo. Gaudeo ex animo, mi Deus, quod tu lauderis; particeps ego sim omnium timentium te!
4. O quot homines hac nocte mortem oppetunt! utinam felicem! omnipotens faustam donet morientibus horam!
5. Si tam molestum est, modico tempore sine somno iacere in plumis, quam grave erit, per totam aeternitatem iacere in prunis!

(Incipe denique recitare Litanias, vel alias preces familiares; ita facile tibi somnum conciliabis.)

PRECES SUB S. SACRIFICIO MISSAE PERSOLVENDAE.

I. PRECES MISSAE,

prout a sacerdoto recitantur

cum Proprio Missae de SS. Trinitate.

Sacerdos: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Introibo ad altare Dei,

Ministrans: Ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

S. (Ps. 42.) Judica me, Deus, et discerne

causam meam de gente non sancta; ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es Deus, fortitudo mea; quare me repulisti et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus.

S. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto,

M. Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

S. Introibo ad altare Dei,

M. Ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

S. Adiutorium nostrum in nomine Domini,

M. Qui fecit coelum et terram.

S. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis, fratres, quia peccavi ni-

mis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam, semper Virginem, beatum Michaelum Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam.

S. Amen.

M. Confiteor ..... omnibus Sanctis, et tibi, pater, quia ..... omnes Sanctos et te, pater, orare .....

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam.

M. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.

M. Amen.

S. Deus tu conversus vivificabis nos,

M. Et plebs tua laetabitur in te.

S. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine, exaudi orationem meam,

M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum,

M. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Aufer a nobis, quaesumus Domine, iniquitates nostras: ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt: et omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Introitus.

Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. (Ps. 8.) Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Gloria Patri etc. Benedicta sit sancta ... (repetitur).

S. Kyrie eleison. *M.* Kyrie eleison. *S.* Kyrie eleison. *M.* Christe eleison. *S.* Christe eleison. *M.* Christe eleison. *S.* Kyrie eleison. *M.* Kyrie eleison. *S.* Kyrie eleison.

Hymnus Angelicus.

Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus, rex coelestis, Deus Pater omnipotens, Domine, Fili unigeniti, Jesu Christe; Domine Deus, agnus Dei, Filius Patris, qui tollis pec-

cata mundi, miserere nobis; qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram; qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis; quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

S. Dominus vobiscum,

M. Et cum spiritu tuo.

Collecta.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia maiestatis adorare unitatem: quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat unitate Spiritus sancti Deus,

S. Per omnia in saecula saeculorum.

M. Amen.

Epistola.

S. Lectio Epistolae Beati Pauli Apostoli ad Romanos. *(Rom. 11.)*

»O altitudo divitiarum, sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso

sunt omnia: ipsi honor et gloria in saecula. Amen.«

M. Deo gratias.

Graduale.

Benedictus es, Domine, qui intueris abysos et sedes super Cherubim.

Benedictus es, Domine, in firmamento coeli, et laudabilis in saecula. (Alleluja.)

Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum, et laudabilis in saecula. (Alleluja.)

Evangelium.

Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Jube Domine benedicere.

Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.

S. Dominus vobiscum,

M. Et cum spiritu tuo.

S. Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum (28, 18—20).

S. Gloria tibi, Domine.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine

Patris, et Filii, et Spiritus sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.

M. Laus tibi, Christe.

S. Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

Symbolum.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. — Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum; et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis; et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas; et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris; et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. — Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur,

qui locutus est per Prophetas. — Et unam sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum; et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

S. Dominus vobiscum,

M. Et cum spiritu tuo.

Offertorium.

S. Oremus!

Benedictus sit Deus Pater, unigenitusque Dei Filius, sanctus quoque Spiritus: quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego, indignus famulus tuus, offero tibi, Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti: da nobis per huius aquae et vini mysterium, eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui tecum vivit et

regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae maiestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Veni, Sanctificator, omnipotens aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

Psalmus 25.

Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus!

Ego autem in innocentia mea ingressus sum; redime et miserere mei.

Pes meus stetit in directo; in ecclesiis benedictam te, Domine.

Gloria Patri etc.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblatio-

nem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi, Domini nostri, et in honorem beatae Mariae, semper Virginis, et beati Joannis Baptistae et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

S. Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum, Patrem omnipotentem.

M. Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque ecclesiae suae sanctae. Amen.

Secreta.

Sanctifica, quaesumus Domine, Deus noster, per tui sancti nominis invocationem huius oblationis hostiam; et per eam nosmetipsos tibi perfice munus aeternum, Per Dominum etc.

Praefatio.

S. Per omnia saecula saeculorum,
M. Amen.
S. Dominus vobiscum,
M. Et cum spiritu tuo.
S. Sursum corda,

M. Habemus ad Dominum.
S. Gratias agamus Domino Deo nostro,
M. Dignum et justum est.
S. Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui cum unigenito Filio tuo et Spiritu sancto unus es Deus, unus es Dominus, non in unius singularitate personae, sed in unius Trinitate substantiae; quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto, sine differentia discretionis sentimus; ut in confessione verae sempiternaeque deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in maiestate adoretur aequalitas; quam laudant Angeli atque Archangeli, Cherubim, quoque ac Seraphim, qui non cessant clamare quotidie, una voce dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus Sabaoth! Pleni sunt coeli et terra gloria tua; hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis.

Canon Missae.

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas haec dona,

haec munera, haec sancta sacrificia illibata: in primis quae tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo, Papa nostro N. et Antistite nostro N. et omnibus orthodoxis, atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum N. N. et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibique reddunt vota sua aeterno Deo vivo et vero.

Communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper Virginis Mariae, genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. — **Amen.**

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui, Domini nostri Jesu Christi.

Consecratio.

Qui pridie, quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum ad te, Deum, Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes,

Hoc est enim Corpus meum.

Simili modo, postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes,

Hic est enim calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et

pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui, Domini nostri, tam beatae passionis, nec non et ab inferis resurrectionis sed et in coelos gloriosae ascensionis, offerimus praeclarae maiestati tuae de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae.

Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, et sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae maiestatis tuae; ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Memento etiam, Domine, famulorum fa-

mularumque tuarum N. N., qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus, cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia, et omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae quaesumus largitor admitte, per Christum Dominum nostrum, per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et praestas nobis.

Per ipsum et cum ipso et in ipso est tibi, Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Oremus. Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere:

Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum;

fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra; panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;

S. Et ne nos inducas in tentationem,

M. Sed libera nos a malo. *S.* Amen.

S. Libera nos, quaesumus, Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris; et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris; ut ope misericordiae tuae adiuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus,

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Pax Domini sit semper vobiscum,

M. Et cum spiritu tuo.

S. Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem!

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris, qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te numquam separari permittas, qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis et ad medelam percipiendam, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea. *(ter.)*

Communio.

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? — Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Benedicimus Deum coeli, et coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

S. Dominus vobiscum,

M. Et cum spiritu tuo.

Postcommunio.

S. Oremus.

Proficiat nobis ad salutem corporis et animae, Domine Deus noster, huius Sacramenti susceptio, et sempiternae sanctae

Trinitatis, eiusdemque individuae unitatis confessio. Per Dominum . . . .

M. Amen.

S. Dominus vobiscum,

M. Et cum spiritu tuo.

S. Ite missa est,

M. Deo gratias.

S. Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae et praesta, ut sacrificium, quod oculis tuae maiestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum,

M. Et cum spiritu tuo.

S. Initium sancti Evangelii secundum Joannem,

M. Gloria tibi, Domine!

S. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhi-

beret de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis.

M. Deo gratias.

2. ALIUS MODUS AUDIENDI SACRUM.

Templum ingressus et aqua lustrali aspersus, genuflexus adora Christum Dominum in venerabili Sacramento latentem dicens:

Adoro te devote, latens Deitas, quae sub his figuris vere latitas; tibi se cor meum totum subiicit, quia te contemplans totum deficit.

Intentio.

Suscipe, sancta Trinitas, hoc sacrosanctum sacrificium Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quod ego indignus servulus tuus una cum sacrificiis omnibus tibi unquam oblatis aut offeren-

dis, unitum sanctissimo sacrificio ab eodem Domino nostro in ultima coena et in ara crucis oblato, per manus sacerdotis offero divinae maiestati tuae omni, quo possum, pietatis ac devotionis affectu, ex puro amore tuae infinitae bonitatis, secundum sanctissimam eiusdem Domini nostri et sanctae matris ecclesiae intentionem:

1. in maximam aeternamque divinae maiestatis gloriam, venerationem, honorem et beneplacitum; **2.** in protestationem supremae excellentiae et dominii tui et nostrae subiectionis ac dependentiae; **3.** in perpetuam commemorationem passionis ac mortis eiusdem Domini nostri; **4.** in honorem augmentumque gloriae beatae Mariae Virginis, totiusque curiae triumphantis; **5.** in aeternam gratiarum actionem pro omnibus beneficiis sanctissimae humanitati Domini nostri, beatae Mariae Virgini, Matri eius, patronis meis, omnibus Sanctis, et mihi indignissimo hucusque collatis et in aeternum conferendis; **6.** in satisfactionem peccatorum meorum omniumque fidelium vivorum et defunctorum: **7.** ad impetrandam gratiam istam . . . . . et ad obtinendam opem in re ista . . . . . **8.** pro parentibus, amicis et benefactoribus meis, pro omnibus mihi peculiariter commendatis, pro quibus orare soleo et teneor, ad impetrandam defunctis requiem, vivisque gratiam te cognoscendi, amandi,

glorificandi nunc perfecte in via, et olim fruendi in patria.

Suscipe et perfice hoc desiderium meum uberemque ad pie id complendum gratiam et benedictionem largire. Amen.

Clementissime Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui sic mundum dilexisti, ut Filio tuo unigenito non parceres, sed eum in passione ac morte acerbissima nostrae reparationi impenderes, imo etiam eius oblationem tibi gratissimam ad renovandum illius in nobis fructum, in ecclesia tua quotidie renovari velles; tribue nobis, quaesumus, huic tam admirando et salutari divinae tuae potentiae, sapientiae ac bonitatis mysterio tam attente et reverenter ac tanta devotione interesse, ut cruenti illius sacrificii participationem per huius incruenti oblationem quam efficacissime consequi valeamus. Per eumdem Dominum etc.

Dum sacerdos dicit Psalmum „Judica“ et „Confiteor“, in amaritudine animae tuae recogita in genere peccata tua, expone Deo fragilitatem tuam, et pete, ut in hoc sacrificio abyssus miseriarum tuarum attrahat tibi abyssum misericordiae ipsius:

O Jesu, infinite amabilis, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, non semel tantum te mihi socium, edulium, sacrificium et praemium dare dignatus es, sed quotidie denuo offerre dignaris; quanta tua est erga me ingratum liberalitas, ca-

ritas et misericordia! quanta mea erga te ingratitudo, stupiditas et malitia, qui tot et tanta ma la et peccata reddo pro tot et tantis beneficiis! Accuso me coram te, mi Deus, coram beata Virgine Maria, matre tua, et omnibus Sanctis de omnibus peccatis meis; doleo de omnibus totius vitae peccatis pure propter te, infinite bonum, a me offensum. Cupio omnia emendare et pro viribus meis satisfacere. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem et omnes Sanctos, ut intercedant pro me. Domine, exaudi benigne orationem meam, et indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum meorum mihi clementer concede.

Ad „Kyrie eleison".

Creator animarum nostrarum, Deus! miserere operum manuum tuarum; Pater misericordiae, fac misericordiam cum filiis tuis; auctor salutis nostrae, qui sacrificium offerri Deo voluisti, applica nobis merita mortis ac preciosissimi Sanguinis tui; amabilis Salvator, dulcis Jesu, compatere nostris miseriis, et dimitte nobis debita nostra.

Ad „Gloria in excelsis".

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te, Domine; benedicimus tibi; adoramus te, glorificamus te; gratias agimus tibi

pro omnibus beneficiis nobis collatis, propter magnam gloriam tuam, qui es omnium Dominus altissimus, solus verus Deus, pater omnipotens. Adorande Jesu, Fili unigenite Patris coelestis, agne sine macula, qui in hunc mundum venisti, ut deleres nostra peccata, miserere nostri, et de altitudine coeli, ubi regnas cum Patre, respice in nos oculis misericordiae tuae. Salva nos, qui solus potes salvare, quia solus sanctus es et omnipotens. — Adoramus te cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Ad „Collectam“.

Omnipotens sempiterne Deus, te supplices oramus, ut respicere digneris de excelso sanctuario tuo super nos, et ecclesiae tuae preces, pro nobis omnibus ad te, sacerdotis huius ministerio destinatas, clementer acceptes et exaudias. Ideoque pro immensa tua misericordia, largire nobis peccatorum nostrorum veniam, integritatem mentis, incolumitatem corporis, necessariam vitae sustentationem, pacem veram, aëris temperiem, terrae fertilitatem, catholicae fidei unitatem, orthodoxae religionis incrementum, haeresum exstirpationem, consiliorum iniquorum destructionem, caritatis ac pietatis fervorem, sinceram devotionem, patientiam et constantiam in afflictionibus, in spe gaudium;

omnia denique, quae ad salutem, tum animae, tum corporis sunt utilia, praesertim vero, quae ad tuae gloriae augmentum sunt idonea, concede. Per Dominum etc.

Ad „Epistolam“ et „Graduale“.

O aeterne Deus, qui nunquam desinis nos indignos famulos tuos publico ecclesiae tuae ministerio, apostolicis, prophe-ticis, aliisque sacris doctrinis et monitis ad cultum et amorem tui nominis excitare, et adversus mundi, carnis, daemonisque insidias praemunire; da, quaesumus, ut salutaria dogmata ac monita libenter semper amplectamur, eisque mores et omnem vitam nostram serio conformare conemur; et ne tandem nobis ad cumulum damnationis cedat, viam veritatis, seu voluntatem tuam, per tot interpretes ac praecones tuos cognovisse et non fecisse, da nobis gratiam et vires, ut, quae facienda toties cognovimus, efficaciter facere valeamus. Amen.

Ad „Evangelium“.

Domine Jesu Christe, qui a Deo venisti magister, et viam dei nos in veritate docuisti, olim quidem visus in terris, et cum hominibus conversatus, hodie etiam per Evangelistarum scripta, et praecones verbi tui docere non cessas, da nobis intellectum capacem salutaris doctrinae tuae; accende etiam affectum zelo sapientiae

coelestis, et doce nos facere voluntatem tuam, ut fidem, quae ex audito Evangelio nascitur, et quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur; utrumque enim opus est gratiae tuae, ut sciamus et faciamus; quia ex nobis servi inutiles sumus, ex te autem est omnis sufficientia nostra. Amen.

Ad „Credo".

Non amplius instruor, mi Deus, a Prophetis et Apostolis, quid faciendum mihi incumbat; Filius tuus unigenitus est, qui me instruere dignatur; ipsius verba sunt, quae in Evangelii lectione percepi. Sed quid proderit, Domine Jesu, credidisse, haec esse verba tua, si fidei non respondeat vita? Quid commodi mihi afferet, habuisse fidem, si comparens in judicio, meritis caritatis et bonorum operum destituor? Credo, et, heu, dolor! vivo ac si non crederem, aut assentirer Evangelio, tuo divino plane opposito. Ah! noli me judicare secundum diversitatem perpetuam meam inter tuamque vivendi rationem, sed vires et gratiam mihi dona faciendi, et opere ipso probandi, quod credo. Cedet tota vita mea unice in laudem et gloriam tuam. Amen.

Ad „Offertorium".

Domine Jesu Christe, Filii Dei vivi, et immaculatae gloriosaeque Virginis Mariae,

in memoriam et laudem immensae caritatis tuae, qua te nobis totum in altari crucis impendisti, ecce praesens Missae sacrificium, sicut et alia omnia, quae per sacerdotum manus toto orbe hodie celebrantur, offero tibi repraesentanda aeterno Patri tuo, in unione et efficacia illius oblationis, qua ipse in cruce moriens sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum pro mundi salute obtulisti. Fac, ut eiusdem Corporis et Sanguinis tui oblatio, quae in hoc mysterio renovatur, et incruento modo sub specie panis et vini peragitur, fructum suum efficaciter obtineat; adeoque vivi inde gratiam, fideles defuncti requiem, et hi, pro quibus sacrificium offertur, misericordiam ac vitam consequantur aeternam. Sit quoque hoc ipsum sacrificium, quod fructum passionis et mortis tuae in se continet, pro innumeris beneficiis tuis in nos collatis gratiarum actio, et pro innumerabilibus peccatis commissis, ac bonis omissis, poenisque debitis propitiatio et satisfactio salutaris; qui vivis et regnas etc.

Ad „Orate fratres".

Mittat tibi Dominus auxilium de sancto, et de Sion tueatur te; memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat. Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam no-

minis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque ecclesiae suae sanctae. Amen.

Ad „Secretas".

Respice, pie pater, de sede maiestatis tuae, et de excelso coelorum habitaculo super hanc oblationem, quam per manus sacerdotis huius offert tibi sponsa tua, sancta mater ecclesia; et per virtutem eiusdem placare super multimodis transgressionibus nostris. Amen.

Ad „Praefationem".

En momentum felix, quo rex Angelorum et hominum apparebit! O mi Deus! reple me spiritu tuo, ut cor meum a terrenis avulsum, nihil praeter te cogitet ac sapiat. Quanta mihi incumbit obligatio, te omni tempore et in omni loco laudandi, Deus infinitae magnitudinis, potentiae, aeternitatis! Nihil aequius, nihil utilius, quam coniungi Jesu Christo, ad te Deum semper adorandum. Per ipsum omnes coelestes spiritus coram maiestate tua prosternuntur, omnesque virtutes coelorum horrore quodam reverentiae correptae, unanimi voce gloriam tuam praedicant Permitte, Domine, ut laudes nostras, quamvis exiles, jungamus praeconiis coelestium horum spirituum, et conspirantibus vocibus, excessu quodam gaudii et admirationis abrepti cum illis dicamus:

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus

exercituum: plena est omnis terra gloria tua. Benedicant et laudent te beati omnes in coelo, et benedictum sit nomen tuum, et benedictus tecum sit, qui ad nos descendit in terram, Deus et Salvator noster, Jesus cum sancto Spiritu in saecula saeculorum. Amen.

Sub „Canone".

Clementissime Pater, suscipe hoc sacrosanctum sacrificium de manu sacerdotis, in unione sacrosancti illius sacrificii, quod tibi dilectus Filius tuus tota vita, in ultima coena, in cruce obtulit, pro me, pro N. N. et omnibus, pro quibus mori dignatus est. Respice in faciem Christi, dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacuit, et per aeternam dilectionem, qua nos sic dilexisti, per infinita merita eiusdem unigeniti tui, per eius incarnationem, nativitatem, circumcisionem, lacrymas, labores, passionem, mortem, per infinitam caritatem, qua tanta pro me fecit, dixit, passus est, et per merita Sanctorum omnium triumphantium et militantium, memento et miserere ecclesiae tuae, eiusque capitum, summi pontificis, praelatorum, principum, omnium statuum ecclesiasticorum, religiosorum, saecularium, qui maxime possunt gloriae tuae et saluti animarum prodesse vel obesse, parentum item, fratrum, benefactorum et amicorum

meorum, qui se mihi singulariter commendarunt, eorum etiam, qui me contristaverunt, quos ego contristavi, offendi, iuvare neglexi, et quos per me in viam salutis vis dirigere. Horum omnium miserere, Pater misericordiarum, sicut scis et vis, gratiam iis concedens, ut tibi quam perfectissime placeant, te agnoscant, timeant, ament, glorificent cum eodem dilecto Filio tuo et Spiritu sancto nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Ad „Elevationem" sacrae hostiae.

Salve salutaris victima, pro me et toto genere humano in patibulo crucis oblata! Christe, rex aeterne, crucifixe propter nos homines, respice sacratissimam carnem tuam pro me cruci clavis affixam, et lancea perforatam, atque illa, quaeso, pietas, quae te traxit et vicit, ut in statera gloriosissimae crucis totius mundi peccata expiares, illa te cogat clementia, ut miserearis mei pleni miseriis, qui fontem miserationis nunquam manare cessas, custodiens animam et corpus meum in vitam aeternam.

Ad „Elevationem" calicis.

Salve nobilissime Sanguis, de latere Domini mei Jesu Christi profluens, et totius veteris et novae culpae maculas diluens: ablue, sanctifica et custodi animam meam in vitam aeternam. Amen.

Post „Elevationem".

Omnipotens Pater, qui sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam aeternam; per hunc dilectum Filium tuum, cuius beatissimam passionem, gloriosam resurrectionem, et in coelos ascensionem recolo, te oro, educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. Libera me a vinculis peccatorum, et quem propria merita faciunt lethalem timere sententiam, per huius dilecti Filii tui, ad dexteram tuam considentis interpellationem, restaura placatus ad vitam; quem enim alium apud te intercessorem inveniam, nescio, nisi hunc, qui est propitiatio pro peccatis nostris; qui sedet ad dexteram tuam, interpellans pro nobis, advocatus meus apud te, Deum patrem, pontifex summus, non alieno, sed proprio perfusus cruore, hostia sancta, beneplacens et perfecta, in odorem suavitatis oblata et accepta, agnus sine macula, qui peccatum non fecit, sed peccata nostra pertulit, et languores nostros suo livore sanavit. Hic est, quem propter peccata populi tui percussisti. Aspice mitissime Pater, dilecti huius Filii tui humanitatem, et miserere super infirmi plasmatis debilitate; vide Redemptoris supplicium, et redempti dimitte delictum. — Oro te, rex Sanctorum, per hunc Sanctum

Sanctorum, per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam spiritu uniri, qui mea non horruit carne vestiri, Jesus Christus in saecula benedictus. Amen.

Ad „Memento".

Rogamus te, sancte Pater, etiam pro animabus fidelium defunctorum, ut fiat illis salus aeterna, gaudium et refrigerium sempiternum. Hoc magnum pietatis Sacramentum, Domine, mi Deus, sit illis hodie magnum et plenum gaudium de te pane vivo et vero, qui de coelo descendisti et das vitam mundo, de carne sancta et benedicta, agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quae de beata Virgine Maria est assumpta, et de Spiritu sancto est concepta, ac de illo fonte pietatis tuae, qui per lanceam militis de latere tuo emanavit, ut exinde refecti et consolati exsultent in laude et gloria tua. Amen.

Ad „Nobis quoque".

Mei quoque, Domine, indigni servi tui secundum multitudinem miserationum tuarum miserearis, et concessa in praesenti scelerum venia, ne me sinas in futuro saeculo excruciari cum impiis, sed aliquam partem habere concedas cum Sanctis tuis in coelis, qui in tua membra coaptati, et in te unum corpus effecti, gratias ob tuum

pro se effusum pretiosum Sanguinem, quo illos lavisti, rependentes, pro te et fratribus suis gloriosum sanguinem fundere non dubitarunt, qui te in vita sua amaverunt, et in morte sunt imitati, et ideo coronas triumphales meruerunt, quorum me, licet imparem meritis, participem tamen fac sola misericordia tua, succurentibus eorum meritis et precibus. Amen.

Ad „Pater noster“.

O Pater misericordiarum, nos, etsi indigni, qui servi dicamur tui, audemus te Patrem nostrum, nos filios tuos dicere; quia gratuita bonitas tua per Filium tuum nos in huius nominis honorem adoptavit, et ipse Filius tuus tui compellandi fiduciam addidit, eo ipso, quod precandi formulam praescripsit. Agnosce ergo dilectissimi Filii tui, quam nos docuit orationem, et largire propitius per eumdem Filium tuum, quidquid per ipsum, ab ipso edocti, te petimus, dicentes: Pater noster, qui es in coelis etc.

Libera nos, quaesumus, Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus, et futuris, et intercedente beata et gloriosa semper Virgine, Dei genitrice, Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adiuti, et a peccato simus

semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eumdem Dominum etc.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. *(ter, ut supra pag. 29.)*

Ad „Communionem“.

O Domine Jesu, agnosco, te verum esse panem vivum, qui de coelo, ut nos te ipso pasceres, descendisti, et intra has species mira dulcedine, stupenda dignatione, potentia admirabili te abdidisti; scio te cupidum pascendi animam meam; credo te hic esse et in te infinitos latere spiritualium donorum thesauros, gratiae maximam ubertatem, ad quorum omnium participationem anhelat ardenter inops anima mea. Credo verbo, quod dixisti: „Qui manducat me, vivet propter me.“ Ecce, panis vive, miser ego fame et frigore pene confectus, infirmitatibus multis obnoxius, accedo ad te, ut manducans te, plenius et verius vivam de te, fovear et saner a te; confido, te non aversaturum indignitatem, infirmitatem et inopiam meam. Vere profiteor, me indignum esse, sub cuius tectum intres, ideoque non praesumo, te modo inducere in hospitium cordis mei, sacrosancti Corporis tui reali manducatione; sed scio et credo cum centurione, te etiam absentem, id est, sine sacramentali communione, solo verbo me posse sanare, ditare et sanctificare. Si enim aspe-

ctus aenei serpentis tanti fuit valoris, ut morsos ab ignitis serpentibus sanare potuerit, an non erit potentior fides, qua te contemplor, ad sanandos morsus serpentis tartarei? Ille typus erat, tu veritas; ille umbra, tu res ipsa; si tactus fimbriae vestimenti tui incurabiles morbos valuit fugare, quid non poterit contactus augusti Corporis et divini Sanguinis tui, etsi non corporalis, mentalis tamen per desiderium et fiduciam? Si umbra discipuli tui Petri omnes morbos corporales potuit abigere; quae aegritudo animi stare poterit, et non continuo cedet splendori divinae maiestatis tuae? Veni igitur ad me, Domine, et sana peccatricem animam meam, ciba esurientem, refice imbecillem; tu, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti; vivifica me, pasce me, sanctifica me hoc sacrosancto Corpore et Sanguine tuo; libera me ab omni peccato, fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas. Amen.

Ad „Postcommunionem“.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti; tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis etc.

Ad „Ite, Missa est“.

Ecce, Pater aeterne, oblata iam est salutis hostia, quam tu de coelo misisti in terram. Placeat tibi, quaeso, quia hic est ipse Filius tuus, in quo tibi bene complacuit. Agat nunc, quaeso, officium mediatoris et advocati, ubi sedet ad dexteram tuam, et interpellat pro nobis. Memento omnis patientiae, caritatis et mansuetudinis eius, et orantem me in nomine huius dilecti Filii tui exaudire digneris; quia ipse dixit: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hoc unum, peto, Domine: placeat tibi hoc sacrificium, ad maiorem gloriam tui nominis; prosit mihi et fidelibus tuis vivis et defunctis ad salutem. Amen.

Ad finem Missae, cum sacerdos populo benedicit, te reverenter inclines, et velut coelestem a Deo benedictionem exspectans, viva cum fide dicas:

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater et Filius, et Spiritus sanctus. •Amen.

Oratio post Missam dicenda.

Misericordissime Domine, qui mihi misero mortali permisisti hac hora stare in conspectu tuo ad te glorificandum pariter ac praedicandum; defectus, quaeso, hoc ipso precationis tempore commissos, sive per occupationem, sive per mentis atque cogitationis in absurda desideria inductio-

nem mihi condona, ne glorietur inimicus adversum me, quod ne ipso quidem hoc tempore devotionis a peccato mihi caverim. Amen.

Domine Jesu Christe, qui ascendens in coelum omnium animas vocasti ad coelestia, et maximam nobis spem dedisti, illa consequendi; benedic, quaeso, animabus nostris, ut non ad captandam vitae huius vanissimam iucunditatem, sed ad regni perennis beatitudinem consectandam eamus. Corpore revertamur ad nostra; mente vero tibi uni, omnium conditori maneamus consociati, nec unquam a te divelli nos aut distrahi patiamur. Denique praesta, ut cum vivis et defunctis extremo iudicii die in illa bonorum multitudine ad te venire possimus, Christe, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

3. PRECES IN MISSIS PRO DEFUNCTIS PERSOLVENDAE.

Introitus.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Psalm. Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem; exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Kyrie eleison *(ter)*, Christe eleison *(ter)* Kyrie eleison *(ter)*.

Oratio

pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Pro omnibus fidelibus defunctis.

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas etc.

Epistola.

Lectio libri Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

In diebus illis audivi vocem de coelo dicentem mihi: scribe: beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos. — Deo gratias.

Graduale.

Requiem aeterna dona eis, Domine et lux perpetua luceat eis.

Psalm. In memoria aeterna erit iustus ab auditione mala non timebit.

Ad „Tractum".

Absolve, Domine, animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum. — Et gratia tua illis sucurrente, mereantur evadere iudicium ultionis, et lucis aeternae beatitudine perfrui.

Jesu, Salvator mundi, exaudi preces supplicum.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei; quia manus Domini tetigit me.

Noctem vertunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem.

Jesus Salvator etc. *(ut supra)*.

Pelli meae, consumptis carnibus adhaesit os meum.

Miseremini etc. *(ut supra)*.

Quare persequimini me, sicut Deus, et carnibus meis saturabimini?

Jesu, Salvator etc. *(ut supra)*.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Miseremini etc. *(ut supra)*.

Sequentia.

1. Dies ire, dies illa, * solvet saeclum in favilla, * teste David cum Sibylla.

2. Quantus tremor est futurus, * quando

iudex est venturus, * cuncta stricte discussurus!

3. Tuba mirum spargens sonum * per sepulchra regionum, * coget omnes ante thronum.

4. Mors stupebit et natura, * cum resurget creatura, * iudicanti responsura.

5. Liber scriptus proferetur, * in quo totum continetur, * unde mundus iudicetur.

6. Judex ergo cum sedebit, * quidquid latet, apparebit, * nil inultum remanebit.

7. Quid sum miser tunc dicturus, * quem patronum rogaturus, * cum vix iustus sit securus?

8. Rex tremendae maiestatis, * qui salvandos salvas gratis, * salva me, fons pietatis.

9. Recordare, Jesu pie, * quod sum causa tuae viae, * ne me perdas illa die.

10. Quaerens me sedisti lassus, * redemisti crucem passus, * tantus labor non sit cassus.

11. Juste iudex ultionis, * donum fac remissionis * ante diem rationis.

12. Ingemisco tanquam reus, * culpa rubet vultus meus, * supplicanti, parce, Deus.

13. Qui Mariam absolvisti, * et latronem exaudisti, * mihi quoque spem dedisti.

14. Preces meae non sunt dignae, * sed tu bonus fac benigne, * ne perenni cremer igne.

15. Inter oves locum praesta, * et ab hoedis me sequestra, * statuens in parte dextra.

16. Confutatis maledictis, * flammis acribus addictis, * voca me cum benedictis.

17. Oro supplex et acclinis, * cor contritum quasi cinis, * gere curam mei finis.

18. Lacrymosa dies illa, * qua resurget ex favilla, * iudicandus homo reus.

19. Huic ergo parce Deus. * Pie Jesu, Domine, * dona eis requiem. Amen.

Evangelium.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus turbis Judaeorum: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judaei ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo cum in novissimo die. — Laus tibi, Christe.

Offertorium.

Domine Jesu Christe, rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum

de poenis inferni, et de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum, sed signifer sanctus Michaël repraesentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahae promisisti et semini eius.

Hostias et preces tibi, Domine, laudis offerimus, tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam facimus; fac eas, Domine, de morte transire ad vitam, quam olim Abrahae promisisti et semini eius.

Secreta

pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostrae, et animabus fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum, quibus tui nominis dedisti confessionem, per haec Sacramenta salutis nostrae cunctorum remissionem tribue peccatorum.

Pro omnibus fidelibus defunctis.

Hostias, quaesumus, Domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, propitiatus intende, ut quibus fidei christianae meritum contulisti, dones et praemium. Per Dominum etc.

Praefatio.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens,

aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates; coeli coelorumque Virtutes ac beata Seraphim socia exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua; hosanna in excelsis! Benedictus, qui venit in nomine Domini; hosanna in excelsis!

Ad Canonem.

O Deus ineffabilis! iam incipiunt illa tremenda mysteria, quae nec Cherubim, nec Seraphim nec omnes Virtutes coelorum plene valent comprehendere, quum tibi soli cognitum sit, quanta amoris magnitudine te indies pro salute fidelium Deo Patri super altare in hostiam laudis et placationis offeras. Ideoque haec sacrosancta arcana universi Angelorum ordines summa demissione venerantur et mirantur, quod videant Regem suum et Dominum, qui olim hominem redempturus summo amore descenderat, nunc iterum pro salute eiusdem hominis ineffabili quodam modo super altare descendere atque sub vilissimis panis et vini speciebus se abscondere. O bone Jesu, tam inaestimabiliter tamque singulariter reverendum est

opus illud, quod nunc operaberis, ut vilis ego et exiguus ne respicere quidem audeam. Unde demergens me, iacebo in profundissima valle humilitatis, quam investigare potero, exspectans ibidem partem meam, quia omnibus electis inde salus proveniet.

Ad „**Elevationem**“ sacrae hostiae.

Ave verum corpus natum de Maria Virgine, vere passum immolatum in cruce pro homine; esto nobis praegustatum mortis in examine. O pie, dulcis Jesu, fili Mariae.

Ad „**Elevationem**“ calicis.

Ave Sanguis Jesu Christi, Salvatoris mei, qui in cruce ex aperto latere profluxisti et totum mundum abluisti; ablue, sanctifica et custodi me in vitam aeternam. Amen.

Post **Elevationem**.

O Christe Jesu! adoro te, qui exaltatus es a terra, ut omnia trahas ad te ipsum. Video enim te extensis in cruce brachiis quasi nos amplecti cupientem et clamantem: „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.“ O Domine, si segnius ego ad te venio, trahe me funiculis illius caritatis, quam moriens in cruce monstrasti. Scire et quaerere Jesum crucifixum, sit mihi summa voluptas; absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi.

O Pater aeterne! ecce hic est Filius

tuus dilectus, in quo tibi bene complacuit; respice in faciem Christi tui et averte faciem tuam a peccatis meis, propter quae Unigenitus tuus humiliavit semetipsum, tibi obediens factus usque ad mortem crucis. Ecce hic est advocatus noster apud te et propitiatio pro peccatis nostris. Ipse enim peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum et livore eius sanati sumus. Percutio itaque cum publicano cor meum tantis peccatis obnoxium et summo animi dolore ad te clamo: Miserere mei, et propitius esto mihi peccatori.

Ecce, vox sanguinis Filii tui clamat ad te de terra non vindictam, sed veniam. Passio et mors eius sint mihi, precor, in remedium et remissionem peccatorum meorum.

Commemoratio defunctorum.

Memento etiam, Domine etc. *pag. 27—29.*

Ad „Agnus Dei".

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam.

Communio spiritualis.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti; libera me per hoc sacrosanctum

Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper inhaerere mandatis et a te numquam separari permittas, qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis et ad medelam, percipiendam, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea *(ter)*.

O Domine Jesu, agnosco etc. *pag. 47.*

Communio.

Lux aeterna luceat eis, Domine, cum Sanctis tuis in aeternum, quia pius es.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis cum Sanctis tuis in aeternum, quia pius es.

Postcommunio.

Pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus.

Praesta, quaesumus, omnipotens et misericors Deus, ut animae fratrum, propin-

quorum et benefactorum nostrorum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuae obtulimus maiestati, per huius virtutem Sacramenti a peccatis omnibus expiatae, lucis perpetuae te miserante recipiant beatitudinem.

Pro omnibus fidelibus defunctis.

Animabus, quaesumus Domine, famulorum famularumque tuarum oratio proficiat supplicantium, ut eas et a peccatis omnibus exuas, et tuae redemptionis facias esse participes, qui vivis etc.

Requiescant in pace. Amen.

Libera me, Domine, de morte aeterna, in die illa tremenda, quando coeli movendi sunt et terra; dum veneris iudicare saeculum per ignem.

V. Tremens factus sum ego, et timeo: dum discussio venerit atque ventura ira.

Quando coeli movendi sunt et terra.

V. Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde.

Dum veneris iudicare saeculum per ignem.

V. Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

Libera me, Domine, de morte aeterna, in die illa tremenda.

V. Quando coeli movendi sunt et terra.

Dum veneris iudicare saeculum per ignem.

PRECES ANTE ET POST STUDIA PERSOLVENDAE.

1. Ante studia.

Veni, sancte Spiritus, et emitte coelitus lucis tuae radium. Veni, pater pauperum; veni, dator munerum, veni, lumen cordium.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et eius semper consolatione gaudere, per Christum Dominum nostrum.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, et mecum laboret, ut feliciter mihi cedant haec studia, quibus adiutus, ad altiorem tui agnitionem et perfectum bonitatis tuae amorem pervenire possim.

Sancta Maria, sedes sapientiae, quae singularem servorum tibi devotorum curam agis, impetra mihi clienti tuo, quaeso, Spiritus sancti gratiam, qua intellectus meus liberalibus disciplinis plenius illustretur, quas in Filii tui tuumque honorem et spiritualem utilitatem meam aliquando convertere possim.

Aspiratio: Tot tibi sint laudes, o bone Deus, quot litteras scribam, quot verba legam; — tot quoque sint laudes tibi, Virgo Maria.

Vel:

Propter te, mi Domine, litteris operam daturus sum, ut consequar veram sapientiam, ut impendam talenta a te mihi concessa, ut excolam et perficiam animam meam, ut aliquando ecclesiae et reipublicae possim esse utilis, ut fiam aptum instrumentum tuum ad omnia, quae aliquando mihi incumbent, ut satisfaciam exspectationi parentum et benefactorum meorum, denique ut adipiscar aureolam illam, de qua Daniel Propheta ait „qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor fundamenti; et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.“ *(Dan. 12, 3.)*

Vel:

Oratio, quam S. Thomas Aquinas ante studia recitare solebat.

Creator ineffabilis, Domine Deus, ac Deus meus, qui de thesauris sapientiae tuae novem Angelorum choros condidisti, et eos super coelum empyreum miro ordine collocasti atque elegantissime partes universi distribuisti, tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiae diceris, atque supereminens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium claritatis, duplices a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam, in qua natus sum. Tu, qui linguas infan-

tium facis esse disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuae benedictionis infundas, da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem et loquendi gratiam copiosam. Ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas per Christum Dominum nostrum. Amen.

2. Post studia.

Tot tibi sint laudes Jesu, quot litteras scripsi — tot quoque sint laudes tibi. Virgo Maria.

Infunde, Domine, cordi meo lumen sapientiae tuae et purifica cogitationes meas, ut te plene agnoscere, digne laudare, perfecte diligere et omnia studia mea semper ad gloriam tuam referre valeam; per Christum Dominum nostrum. Amen.

SALUTATIO ANGELICA.

(Ad trinum campanae impulsum. — Indulg.)

V. Angelus Domini nuntiavit Mariae,

R. Et concepit de Spiritu sancto. Ave Maria etc.

V. Ecce ancilla Domini,

R. Fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria etc.

V. Et Verbum caro factum est,

R. Et habitavit in nobis. Ave Maria etc.

V. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde; ut qui Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Tempore paschali non dicitur *Angelus*, sed sequens Antiphona, stando:

Regina coeli, laetare, Alleluia.
Quia quem meruisti portare, Alleluia.
Resurrexit sicut dixit, Alleluia.
Ora pro nobis Deum. Alleluia.

V. Gaude et laetare, Virgo Maria, Alleluia.

R. Quia surrexit Dominus vere. Alleluia.

Oremus. Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es: praesta quaesumus; ut per eius genitricem, Virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

PRECES ANTE ET POST PRANDIUM ET COENAM PERSOLVENDAE.

Benedictio.

Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam illorum in tempore op-

portuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Gloria Patri, et Filio etc. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

Oremus. Benedic, Domine, nos et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Gratiarum actio.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

V. Sit nomen Domini benedictum,

R. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Oremus. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam aeternam. Amen.

PRECES ANTE ET POST CONFESSIONEM PERSOLVENDAE.

Orationes praeparatoriae

(ex quibus una alterave seligi potest).

1. Ad te, Domine Jesu, denuo supplex revertor, qui peccando a te toties discessi: quo enim ibo, nisi ad te? si tu me repellis, quis me suscipiet? si tu condemnas, a quo veniam sperabo? firmissime quidem antehac statui, servare iusificationes tuas, omniaque peccata, potissimum ista . . . . , vitare; sed eheu! instabilis factus sum.

et concupiscentiae illecebris seductus, te iterum dereliqui. Peccavi, quid faciam? quo me convertam miser, nisi ad te, in quo est salus, vita, et resurrectio nostra? Respice in me, Domine Jesu, quemadmodum in Petrum respexisti, et miserere mei. Utinam dolorem cordis mei tot lacrymis, quot ille, contestari possem! In tua misericordia, mi Jesu, quae maior est, quam mea iniquitas, spem omnem pono. Plus tu potes dimittere, quam ego committere. Ne proiicias me a facie tua. Dic animae meae: Salus tua ego sum. *(Psal. 34, 4.)*

2. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte peccata mea, quibus te, amantissime Jesu, toties ad iram provocavi! ad pedes tuos cum Magdalena provolvor, eosque ex animo amplector et exosculor, tuam supplex misericordiam implorans. Parce, Domine, parce peccatis meis; quae utinam tam largo lacrymarum imbre quam peccatrix illa, possem eluere! harum defectum, mi Jesu, roseo tuo, quem pro me copiosissime fudisti, sanguine compensa. A pedibus tuis non discedam; hos firmiter tenebo tanquam salutis meae anchoram, nec dimittam, donec benedixeris mihi, et audiam illa summae consolationis verba: Remittuntur tibi peccata tua. *(Matth. 9, 2.)*

3. „Pater peccavi in coelum, et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.“ Desideriis et concupiscentiis meis obtemperavi, te fidelissimo Patre contempto. Fodi mihi cisternas consolationum terrenarum, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas, te fonte aquae vivae derelicto. Gaudium in creaturis quaesivi, quod in te solo inveniri potest. Vere „non est pax impiis.“ Quare ad te redeo, o benignissime Pater, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus. Iterum exclamo: „Pater peccavi in coelum, et coram te,“ redde mihi, obsecro, licet filii nomine indigno, gratiae tuae vestem, quam peccatis meis perdidi, restitue amoris tui annulum, quem amore creaturarum pessundedi, ut hoc ornatu insignitus in coena tua Eucharistica comparere merear, tibique aeternum coniungi. „Mihi enim adhaerere Deo bonum est.“ *(Ps. 72, 28.)*

4. Confiteor adversum me iniustitiam meam tibi, Domine; inique egi non modo contra divinae maiestatis tuae honorem, verum et proximi mei caritatem, quem ut diligerem sicut me ipsum, praecepisti. Saepe, fateor, graviterque contra hoc tuum praeceptum peccavi; cupidus, heu nimium fui rerum temporalium, aliorum damno; nimis laudis propriae appetens, aliorum contemptu; quid tandem proderit mihi, si

universum mundum lucratus fuero, animae vero meae detrimentum faciam? quid ex mundi gloria mihi erit, si ad infernum descendam? quid a coelo, quid a terra sperare possum, te Deo meo offenso? Agnosco, mi Deus, inique me hactenus egisse, et in multis proximo iniuriam intulisse; ignosce culpam agnoscenti; in satisfactionem et tuae voluntatis adimpletionem propono et statuo, te adiuvante omnia damna a me sive in honore, sive in bonis proximo illata, quantum possum, resarcire, et aliquam insuper eleemosynam elargiri. Aufer a me, quod hactenus fovi, cor lapideum, durum, et invidum, et redde cor carneum, cor humanum, cor mite, tuaeque benignitati conforme, ut et ego inter filios Abrahae, a te electos, recenseri merear. Tu enim venisti salvum facere, quod perierat. *(Matth. 18, 11.)*

5. Sero ad te venio, o Jesu crucifixe! tempus est, ut me tibi conciliem; quot enim iuvenes aeque ac senes mors interea abstulit, dum ego peccatis indulsi? an non et ego una cum illis e medio tolli, aeternumque damnari potuissem? quid te, mi Jesu, movit, ut mihi prae aliis parceres, nisi bonitas tua infinita? ne ergo me, quaeso, nunc a te repellas, nemo unquam serio poenitens ad te sero venit. Latroni in cruce ultimo vitae articulo condonasti quidquid omnibus vitae suae annis pecca-

vit, eodemque die in paradisum recepisti. Per insigne hoc tuae misericordiae et clementiae opus, te supplex cum eodem latrone (utinam pari amoris et doloris affectu!) oro, o Jesu Nazarene, miserere mei, et in tuam, licet indignum, me gratiam recipe. Fateor amarissimae tuae passionis, et crucis causam esse delicta mea, quae proinde ex animo nunc detestor cum firmissimo proposito, ea me deinceps cum tua gratia nunquam repeturum. Miserere mei, o Jesu, miserere mei, qui misereris omnium propter poenitentiam. *(Sap. 11, 24.)*

6. Erravi sicut ovis, quae periit, pastor bone, pie Jesu, quaere servum tuum, et reduc me in viam mandatorum tuorum. Tu enim dixisti: Visitabo oves meas; quod perierat, requiram, et quod abjectum erat, reducam, quod confractum est alligabo, et quod infirmum, consolidabo. Aspice vulnera peccatorum meorum, quorum non est numerus, et sana ea. Tuis me humeris licet indignum excipe, et adduc ad gregem electorum tuorum: Ibi misericordias Domini in aeternum cantabo. *(Ps. 88, 2.)*

7. Me miserum, qui Hierosolymis Jerichuntem descendi; qui, loco verae pacis deserto, fallaces mundi et carnis delectationes sectatus sum, et in manus infernalium latronum incidi, a quibus innocentiae

veste spoliatus, et ad mortem animae miserando spectaculo vulneratus sum! Propitios in me oculos converte, o pie Samaritane, et miserere mei in sanguine peccatorum meorum volutantis. Non est, qui possit aut velit misero mihi in hoc statu salutarem praebere manum, praeter te, Domine Jesu; in te solo meae vitae spes est posita; tu unicus es animae meae medicus; huic obsecro, amoris tui vinum et misericordiae oleum infunde, et induc in vulnus sacratissimi lateris tui. Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. *(Ps. 131, 14.)*

8. Domine omnipotens, importabilis est magnificentia gloriae tuae, et insustentabilis ira comminationis tuae super peccatores; immensa vero, et investigabilis misericordia promissionis tuae, quoniam tu es Dominus altissimus, benignus, longanimis, et multum misericors, et „praestabilis super malitia“ *(Joel II. 13)*. Tu Domine secundum multitudinem bonitatis tuae, promisisti poenitentiam et remissionem iis, qui peccaverunt tibi, et multitudine miserationum tuarum statuisti poenitentiam peccatoribus in salutem. Tu igitur, Domine, Deus iustorum, non posuisti poenitentiam iustis Abraham, et Isaac, et Jacob, iis, qui tibi non peccaverunt, sed posuisti poenitentiam propter me peccatorem, quoniam peccavi super numerum

arenae maris; multiplicatae sunt iniquitates meae, et non sum dignus intueri, et aspicere altitudinem coeli prae multitudine iniquitatum mearum. Et nunc flecto genu cordis mei, precans a te bonitatem. Peccavi, Domine, peccavi, et iniquitates meas agnosco. Quare rogo et obsecro te, remitte mihi, Domine, remitte mihi, et ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in aeternum iratus, reserves mala mihi, neque damnes me in infima terrae loca; quia tu es Deus, Deus, inquam, poenitentium; et in me ostendes omnem bonitatem tuam, quia indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam, et laudabo te semper, omnibus diebus vitae meae, quoniam te laudat omnis virtus coelorum, et tibi est gloria in saecula saeculorum. Amen.

Clementissime Pater! dignare ceteris, quae mihi iam contulisti innumeris beneficiis etiam hoc adhuc addere, ut mentis meae tenebras gratia tuae visitationis illumines, affectum voluntatis inflammes et corrobores, ut cognoscam, quidquid cogitatione et affectu, verbis, operibus et omissionibus contra te, contra proximum et me ipsum peccaverim!

Examen conscientiae.

An et quoties . . . . voluntarie, cum consensu inhaesi cogitationibus, — su-

perbis, — otiosis, — vagis *(in oratione)*, — impuris, — cupidis, — invidiosis, — iracundis *(cum odio)*, — vindicativis, — suspiciosis, *(cum temerario iudicio)*, — fraudulentis, — blasphemis, — haereticis, — desperabundis.

An et quoties . . . . cum scandalo vel detrimento proximi locutus sum verba, otiosa, — iactatoria, — superba, — impudica, — irrisoria, — maledica, — exsecratoria, — blasphema, — detractoria, — contumeliosa, — mendacia, *(cum iuramento)*, — ironica, — fraudulenta, — adulatoria, — seductoria.

An et quoties . . . . peccavi operibus. — fui otiosus, — neglexi *(ista . . . .)*, — pecuniam inutiliter impendi, — orationes, ad quas obligor, omisi, — concionem neglexi, — dies festos male impendi, — ieiunia violavi, — superbus fui *(in vestibus etc.)* — avarus et durus *(in pauperes)* — impudicus *(mecum vel cum aliis.)* intemperans *(in cibo, potu, etc.)* — segnis *(in rebus divinis)* — iniuriam feci — fraudes exercui, — laesi in corpore, *(vel honore alium)* — inobediens fui, — contumax, — seduxi alios, — scandalum dedi *(grave . . . . tot aliis.)*

Peccavi, Domine, peccatum grande, et multorum mihi conscius sum delictorum; sed nec sic despero, quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit et gratia.

Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat te Deum esse misericordem. Magnam iniuriam tibi facit, qui de tua, misericordia diffidit. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors tua, Domine Jesu, in mentem mihi venerit. Clavi et lancea dicunt mihi, me tibi reconciliatum esse. Longinus aperuit mihi latus tuum, et ego intravi et ibi requiesco securus; nullum tam potens amoris erga te incitamentum est, quam mors tua, mi Jesu, qua me redemisti. Inclinas caput tuum in morte, ut osculum mihi, quamvis peccatori, des; extendis brachia tua in cruce et expandis manus tuas, paratus in amplexus meos. Inter brachia tua et vivere volo, et mori cupio, Amen. *(S. Augustinus.)*

Actus contritionis et propositi.

Dolor de peccatis ante absolutionem necessario eliciendus est; nam sine contritione aut attritione poenitens non est capax absolutionis.

Utinam te, Domine, mi Deus, ex toto corde meo, tota anima mea et ex omnibus viribus meis super omnia diligam! Utinam ipsum Seraphinorum amorem exaequem, et in eodem semper persistam! „Tu scis, Domine, quia amo te“ magisque amare cupiam; quod milies malim mori, quam in illud peccatum . . . . in illa peccata . . . . relabi. O, quam doleo, quod te, summum et amantissimum bonum meum

unquam offenderim! Utinam (quod gratia tua fretus firmissime propono) te numquam vel minimo delicto offendam! Tu enim omni amore, honore et cultu dignus es, cuius sanctissimam voluntatem in omnibus exsequi cupio. Amen.

Alius modus eliciendi actum contritionis et propositi.

O Pater misericordiarum! quid retribui tibi pro dilectione tua? nihil nisi peccata, negligentias, ingratitudinem! utinam numquam te offendissem, nec offenderem posthac in aeternum! Tibi soli peccavi et malum coram te feci. Doleo ex toto corde de omnibus peccatis meis tam occultis, quam mihi notis, quia iis te offendi, qui es summe bonus, infinite perfectus, maxime amabilis. Doleo, quia peccavi contra te, creatorem, redemptorem, Deum meum. Poenitet me unquam peccasse! Displicet, quod ausus sim te, Deum meum offendere. Supplex peto veniam et misericordiam. Detestor, exsecror, abominor omnia delicta, quae inde a pueritia in hanc usque horam commisi; detestor illa super omnia detestabilia propter foedam eorum turpitudinem, propter iram et poenam iustitiae tuae propter detrimentum animae meae, propter ingratitudinem contra bonitatem tuam. Imprimis autem, detestor omnia *(illud autem . . . illa . . . imprimis)*, quia te summum bonum offendi, quia cor tuum

contristavi, quia displicui et malum feci tibi, qui, licet coelum non esset nec infernus, nec praemium nec poena, attamen propter infinitam tuam bonitatem et perfectionem eras et es dignissimus, qui numquam offendatur, sed semper ametur, colatur et honoretur.

Ignosce, mi Deus, qui non vis mortem peccatoris, ignosce. Propono firmissime, ex hoc momento numquam iterum te offendere. Propono vitare constanter, singulari studio deliberata peccata ad unum omnia et occasiones peccandi mortaliter, et magna sollicitudine illud *(illa)* declinare *(nominetur quod supra)*. Confitebor illud. Agam poenitentiam. Fugiam occasiones. Adhibebo remedia. Serviam tibi, Deo meo fidelius. Ignosco tui amore omnibus; quotquot unquam gravavi, scandalizavi, laesi, contristavi, contempsi aut iudicavi, ab his veniam humiliter peto, iisque pro viribus satisfacere cupio. Et quia haec forte non sufficiunt delendis, quae contraxi debitis, etiam in satisfactionem offero merita Jesu Christi, B. Virginis, omniumque Sanctorum, opera mea, vitamque totam. Ignosce Pater clementissime, et filium prodigum in gratiam recipe, a qua numquam me sinas excidere. O Deus optime, potius mihi mortem immitte, quam in peccatum grave relabi permittas. Malo mori, quam peccare. Adiuva imbecillitatem meam.

Tertius modus eliciendi actum contritionis et propositi.

Doleo ex toto corde meo, et ex tota anima mea, o Deus! de omnibus peccatis meis notis et occultis, eademque supra omnia vehementer exsecror et detestor:

1. Quia iisdem te offendi, qui es maiestas infinita et ne minimo quidem peccato laedenda ob mille mundorum salutem; quia offendi te, Deum, patrem meum, qui es infinita potentia, qua me ex abysso nihili eduxisti, corpore, anima, membris, sensibus et potentiis donasti; et ego iisdem abutens contra te rebellavi. O quanta impietas!

2. Doleo de peccatis meis, quia offendi te, Fili Dei, qui es sapientia infinita, omnia sciens, omnia penetrans, omnibus semper praesens; et ego te praesente et spectante, tam foede deliqui. O quanta audacia et insipientia!

3. Doleo de peccatis meis, quia offendi te, Spiritus sancte, qui es amor et bonitas infinita, cuius gratiam sprevi. O quanta perversitas!

4. Doleo de peccatis meis, o Deus! quia offendi te, qui es infinita iustitia, qui luciferum aeterno incendio, totum mundum diluvio, pentapolim igne sulphureo plexisti; et ego, vermiculus te contempsi, atque ad iram et vindictam provocavi. O quanta temeritas!

5. Doleo de peccatis meis, quia offendi te, Jesu Christe, qui es infinita benignitas et clementia, qui pro me tam mira fecisti, tam dira sustinuisti, tantam vim sanguinis profudisti; et ego toties sanguinem testamenti pollutum duxi, *(Hebr. 10, 29)*, scelera et malefacta rependi. O quanta ingratitudo!

6. Doleo de peccatis meis, o Deus, quia offendi te, qui es infinita misericordia, qui me, patrato primo lethali scelere mox cum diabolis ad infernum deturbare poteras, sed clementer pepercisti; et ego iterum iterumque peccavi. O quanta praesumptio!

7. Doleo de peccatis meis, o Deus, quia offendi te, qui es infinita maiestas, omni mea, creaturae et servi tui, veneratione et obsequio dignissima. O quanta iniuria!

8. Doleo de peccatis meis, o Deus, quia te offendi, qui es infinita amabilitas, infinita suavitas, sanctitas, pulchritudo, dulcedo, perfectio, cui ego voluptatem momentaneam, lucrum exiguum, honorem inanem perfide praeposui. O quanta caecitas, quanta malitia!

Praxis confessionis.

Ante confessionem ingressus sacrum tribunal benedictionem pete his verbis: „Benedic Pater“ et formato signo crucis, subiunge:

Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariae semper Virgini, omnibus Sanctis, et tibi,

Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere.

Deinde, indicato tempore ultimae Confessionis, peccata tua recense 1. humiliter, ea non excusando; 2. breviter, superflua non narrando; 3. sincere, peccata non tegendo; 4. honeste et clare, ut satis intelligantur; 5. integre, addendo speciem et numerum certum, vel si eum nescias, verisimilem, ita ut nullum peccatum mortale voluntarie omittas, quia hoc grande sacrilegium est. Et sic denique conclude:

De his et omnibus aliis peccatis meis doleo ex intimo corde, quia Dominum, Deum, summum bonum offenderim; detestor illa et firmissime propono me emendare, petoque salutarem poenitentiam et absolutionem.

Sub absolutione cogita animam tuam mundari pretioso Sanguine Jesu Christi, cuius merita per Sacramentum tibi applicantur, et breviter renova actum contritionis.

O Deus, propitius esto mihi peccatori; o quam doleo, quod summum bonum unquam offenderim, propono emendationem.

Poenitentiam, tanquam a Christo iniunctam, libenti animo accipe, et quam primum potes, exsequere, eaque peracta sequentes vel similes persolve preces.

Post confessionem.

Sit tibi, obsecro, meritis Beatae semper Virginis, genitricis tuae, Mariae et omnium Sanctorum grata et accepta ista confessio

mea, et quidquid mihi defuit, nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in coelo: qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Gratias immensas tibi ago, Domine, quia dirupisti vincula mea, quibus tenebar in daemonis servitute, et quia eripuisti animam meam a perditione, eamque pretioso Sanguine tuo mundatam restituisti divinae tuae gratiae.

Ad te, o benignissime Jesu, revertor, et gratias ago, quod a foedissima peccatorum meorum lepra mundare me dignatus fueris. Sit nomen tuum, o Jesu, benedictum in saecula. Vere tu es Jesus, hoc est Salvator, qui neminem a te quamlibet flagitiosum repellis, qui omnes serio poenitentes in gratiam recipis, et in numerum filiorum tuorum adscribis. Misericordiae tuae viscera, o Jesu, agnosco et amplector, meque totum servitio tuo deinceps addico. Adiuva, obsecro, imbecillitatem meam, ut numquam huius, quod mihi praestitisti, beneficii oblitus, amore ullius delectationis, aut praeposteri affectus impulsus, in priora peccata relabar meque a te separem. Cor et animam meam dilectionis tuae brachiis ita tecum constringe, ut dicere cum Apostolo, pos-

sim: Quis me separabit a caritate Christi! *(Rom. 8, 35.)*

O dulcissime Redemptor! amo te ex toto corde meo et ex tota anima mea, quia infinite bonus es. Doleo, quod unquam te offenderim, firmiterque propono in posterum iam non peccare.

Da, Domine, ut deinceps diligam te, ut serviam tibi constanti voluntate, ut gratiam tuam conservem et potius moriar, quam ex illa per peccatum iterum excidam.

Largire mihi, Domine, gratiam proposita exsequendi, vitam serio emendandi, et in gratia tua ad mortem usque perseverandi.

Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodesse, da cordibus nostris inviolabilem tuae caritatis affectum, ut haec desideria de tua inspiratione concepta nulla valeant tentatione mutari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Denique a Christo tibi dici cogita:

Fili, peccasti! non adiicias iterum. *(Eccli. 21, 1.)* Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat *(Jois. 5, 14)*, nam peccatores persequitur malum *(Prov. 13, 21.)*. Convertere ad Dominum et relinque peccata tua *(Eccli. 17, 21.)*. Quoniam Altissimus odio habet peccatores *(Eccli. 12, 3.)* et in malitia eorum disperdet eos. *(Ps. 93, 23.)* — Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt. *(Jois. 21, 13.)* —

Peccatores rursum crucifigentes Filium Dei *(Hebr. 6, 6.)* poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini. *(2. Thess. 1, 9.)* — Ergo avertere ab iniustitia tua. *(Eccli. 17, 23.)* — Scito et vide, quia malum et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum et non esse timorem mei apud te. *(Jerem 2, 19.)* — Iniqui regnum Dei non possidebunt? *(1. Cor. 6, 9.)* — Pars illorum erit in stagno ardenti, igne et sulphure. *(Apoc. 21, 8.)* — *Audisne?* — Ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum. *(Ps. 10, 7.)* — Peccatores peribunt. *(Ps. 36, 20.)* Et qui dereliquerunt Dominum, consumentur. *(Is. 1, 28.)* — Devorabit eos ignis. *(Ps. 20, 10.)* Sed qualis? — Discedite a me maledicti in ignem aeternum. *(Matth. 25, 41.)* — Vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur. *(Marc. 9, 45.)* — Et quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? *(Isai. 33, 14.)* *O fili, quid fecisti?* — Fecisti malum in oculis Domini. *(I. Reg. 15, 19.)* — Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini, creatoris tui. Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est. *(Deuter. 32, 19.)* — Cito revertere ad Dominum. *(Eccli. 17, 23.)* — Neque adiicias peccatum super peccatum. *(Eccli. 5, 5.)*. Si enim Deus angelis peccantibus non peper-

cit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos *(2. Petri 2, 4.)*, *an tibi parcet toties peccanti?* Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius et in tempore vindictae disperdet te. *(Eccli. 5, 8, 9.)* *Et si modo non punit, tamen time,* quia in diem perditionis servatur malus et ad diem furoris *(Job 21, 30.)* — Deus vindicans vindicabit. *(Eccli. 5, 3.)* — *Sed numquid dixisti, quod dixit impius in corde suo:* quis me videt! *(Eccli. 23, 25.)* Tenebrae circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me, quem vereor? *(Eccli. 23, 26.)* *O stulte et insipiens!* Deus, qui finxit oculum, non considerat? *(Ps. 93, 9.)* *Vidi ego, Dominus,* scrutans corda et renes Deus *(Ps. 7, 10.)* Vultus Domini super facientes mala. *(Ps. 33, 17.)* Et in omni loco oculi Domini contemplantes bonos et malos. *(Prov. 15, 3.)* Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus eius considerat. *(Prov. 5, 21.)* — Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et corda intuentes, *(Eccli. 23, 28.)* ut reddat unicuique secundum opera sua; *(Apoc. 22, 12.)* *vide, qualia sint tua?* et Deum time, *qui ipso momento, quo peccas,* potest et animam et corpus perdere in gehennam. *(Matth. 10, 28.)* — O quam horrendum

est, incidere in manus Dei viventis! *(Hebr. 10, 31.)* *Ita dico tibi*, hunc time *(Luc. 12, 5.)* In peccatores respicit ira illius, *(Eccli. 5, 7.)* et similiter odio sunt Deo impius et impietas eius, *(Sap. 14, 9.)* *qualis est* immunditia, luxuria, rixae, ebrietates, et his similia, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. *(Galat. 5, 21.)*

Omnis immundus non habet hereditatem in regno Christi et Dei. *(Ephes. 5, 5.)* — *Ergo fili*, quasi a facie colubri fuge peccata *(Eccli. 21, 2.)* — et memor esto, quoniam mors non tardat. *(Eccli. 14, 12.)* — *Est autem* mors peccatorum pessima, *(Ps. 33, 22.)* *mors scilicet aeterna.* — *Peccator* in terra Sanctorum iniqua gessit, et idciro non videbit gloriam Domini. *(Isai 26, 10.)* *Amen, amen dico tibi:* qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo, *(Exod. 32, 33.)* devorabit eum ignis, qui non succenditur *(Job 20, 26.)*, ignis aeternus, qui non exstinguitur. *(Isai 66, 24.)* — Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet. *(Ps. 144, 20.)* — Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam. *(Matth. 25, 46.)* — Declina a malo et fac bonum, *(Ps. 36, 27.)* et quiesce iam agere perverse. *(Isai 1, 16.)* Qui facit peccatum ex diabolo est. *(I. Joi 3, 8.)* — Et peccatores captivi tenentur a diabolo ad

ipsius voluntatem. *(II. Tim. 2, 26.)* — *O duram servitutem!* Longe a peccatoribus salus. *(Ps. 118, 155.)* — Exacerbavit Dominum peccator, *(Ps. 9, [10] 4.)* sed tu revertere ad me, et ego suscipiam te, *(Jerem. 3, 1.)* et omnium iniquitatum, quas operatus es, non recordabor. *(Ezech. 18, 22.)*

Numquid non dixi? — Nolo mortem impii, sed ut convertatur et vivat. *(Ezech. 18, 32.)* — Si egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis et custodierit omnia praecepta mea, vita vivet et non morietur; omnium iniquitatum eius non recordabor. *(Ezech. 18, 21. 22.)* Vade, et iam amplius noli peccare. *(Jois. 8, 11.)* Qui faciunt peccatum, hostes sunt animae suae. *(Tob. 12, 10.)* Stipendium peccati mors. *(Rom. 6, 23.)* — Anima enim, quae peccaverit, ipsa morietur. *(Ezech. 18, 20.)* — O fili, miserere animae tuae. *(Eccli. 30, 24.)* — Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? *(Matth. 16, 26.)* — *Ut hanc serves* in omnibus operibus tuis, memorare novissima, *quae sunt: mors, infernus, iudicium, coelestis gloria,* et in aeternum non peccabis. *(Eccli. 7, 40.)* — Omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum, et cave, ne aliquando peccato consentias.

(Tob. 4, 6.) — Nam melius est mori, quam peccare in conspectu Domini. *(Dan. 13, 23.)* — Vade in pace. *(Luc. 8, 48.) et hoc scito:* Qui spernit me, et non audit verba mea, habet, qui iudicet eum. *(Jois. 12, 48.)*

Haec verba fidelissima sunt et vera. *(Apoc. 22, 6.)* Ego Dominus locutus sum. *(Ezech. 21, 32.)* Coelum et terra peribunt, verba autem mea non peribunt. *(Matth. 24, 35.)*

PSALMI POENITENTIALES.

Ant. Ne reminiscaris.

I.

Ps. 6. Est pia poenitentis precatio.

Domine, ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam, * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri, et Filio etc.

Oratio contra superbiam.

Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: et ego, vilissimus terrae vermiculus, ego, pulvis et cinis, ego peccatorum maximus, qui millies infernum merui, non vereor, me animo efferre? Propitius esto mihi, Domine; agnosco, et detestor exsecrabilem arrogantiam meam. Ne, obsecro, cum superbo lucifero, eiusque asseclis, in gehennae barathrum me deturbes; convertere, et eripe animam meam; adiuva me, et salvum me fac propter misericordiam tuam. Elegi in posterum abiectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. *(Psal. 83, 11.)*

II.

Ps. 31. *Beatus, qui a peccato liber est.*

Beati, quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, * nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea * dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: et iniustitiam meam non abscondi.

Dixi: confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: * et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus, * in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, * ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me; exsultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et fraeno maxillas eorum constringe; * qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris, * sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino, et exsultate iusti: et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, et Filio etc.

Oratio contra avaritiam.

Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum! Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu, satiabor, cum apparuerit gloria tua. Eheu! quod tanto hactenus studio mammonae servivi! Et quid mihi proderit, si universum mundum lucratus fuero, animae vero meae detrimentum patiar? Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum, et nihil invenerunt in manibus suis. Confitebor adversum me iniustitiam meam tibi, Domine, et tu remittes, spero, impietatem peccati mei: Pauperis in posterum miserebor, male parta restituam, et tuo me servitio ferventius impendam. Tu, Domine, adiuva me, qui reples in bonis desiderium meum. *(Psalm. 102, 5.)*

III.

Ps. 37. *Describitur miseria peccatoris.*

Domine, ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corripias me:

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi: et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum: et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt, et corruptae sunt cicatrices meae, * a facie insipientiae meae.

Miser factus sum, et curvatus sum usque ad finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei * adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui iuxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi: tu exaudies me, Domine, Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei: * et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum; et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine, Deus meus: ne discesseris a me.

Intende in adiutorium meum, * Domine, Deus salutis meae.

Gloria Patri etc.

Oratio contra iram.

„Homo homini reservat iram, et a Deo quaerit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur; quis exorabit pro delictis illius?“ His verbis mihi, Domine, Deus, loqueris per servum tuum, filium Sirach. Et ego posthac iram aut odium contra quemquam fovere audeam? Parce, Domine, parce malitiae et pertinaciae meae, in qua hucusque perseveravi. Ex animo nunc ignosco et remitto, quidquid ullus unquam in me peccavit; supplexque oro, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me; utinam tanquam surdus, in posterum non audiam, et sicut mutus non aperiam os meum,

quando inimici mei contra me insurgunt, et vim faciunt, qui quaerunt animam meam! Ne derelinquas me, Domine, Deus meus, ne discesseris a me, quoniam tu es patientia mea. *(Ps. 70, 5.)*

IV.

Ps. 50. *Est pia Davidis poenitentis oratio.*

Miserere | méi, Deus, * secundum magnam | misericórdiam tuam.

Et secundum multitudinem | miseratiónum tuarum, * dele | iniquitátem meam.

Amplius lava me: | ab iniquitáte mea: et a peccato | méo munda me.

Quoniam iniquitátem meam | égo cognosco: et peccatum meum | contra mé est semper.

Tibi soli peccavi, | et malum córam te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis, | et vincas cum iùdicaris.

Ecce enim | in iniquitátibus conceptus sum: et in peccatis | concepit me máter mea.

Ecce enim | veritatem dílexisti: incerta et occulta sapientiae tuae | manifestásti mihi.

Asperges me | hyssopo, ét mundabor: lavabis me, | et super nivem déalbabor.

Auditui meo | dabis gaudium ét laetitiam: et exsultabunt | ossa humíliata.

Averte faciem tuam | a peccátis meis: et omnes | iniquitates méas dele.

Cor mundum | crea in me Deus: et

spiritum rectum innova | in viscéribus meis.

Ne proiicias me | a fácie tua: et spiritum sanctum | tuum ne aúferas a me.

Redde mihi laetitiam | salutáris tui: et spiritu | principáli confirma me.

Docebo | iniquos vías tuas: et impii | ad te cónvertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, | Deus salútis meae: et exsultabit lingua mea | iustitiam tuam.

Domine, | labia méa aperies: et os meum | annuntiabit laúdem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, | dedíssem utique: holocaustis | non délectaberis.

Sacrificium Deo | spiritus contríbulatus: cor contritum et humiliatum | Deus nón despicies.

Benigne fac, Domine | in bona voluntate túa Sion: ut aedificentur | múri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, | oblationes, et hólocausta: tunc imponent | super altare túum vitulos.

Gloria Patri et Filio etc.

Oratio contra luxuriam.

„Pater, peccavi in coelum, et coram te, et iam non sum dignus vocari filius tuus.“

Quid faciam miser? Non enim permanebit Spiritus tuus in homine, quia caro est.

Ah! miserere mei, miserere. Quod cum

tot reproborum millibus, quos hodiedum abominanda luxuriae pestis in gehennam praecipitat, raptus non sim, infinitae tuae bonitati adscribo. Ergone iterum peccabo? Iterumne pretiosissimum Sanguinem tuum, o Jesu, in ablutionem scelerum meorum effusum, amore bestialium voluptatum, conculcabo? absit, o Jesu, absit! Obsecro te, o fili castissimae Virginis Mariae, a spiritu fornicationis libera me. Amplius, amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Ne proiicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me!

V.

Ps. 101. *Oratio est ad avertenda peccati mala.*

Domine, exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te, * velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei * adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pelicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: et qui laudabant me, adversum me iurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, * et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae: quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut foenum arui.

Tu autem, Domine, in aeternum permanes: et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exsurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides eius: et terrae eius miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, * et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion: et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera: et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de coelo in terram aspexit:

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum:

Ut annuntient in Sion nomen Domini et laudem eius in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum, * et reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae. Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem et generationem anni tui.

Initio tu, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt: et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria Patri et Filio etc.

Oratio contra gulam.

Me miserum! qui te, Domine Deus, fontem aquae vivae reliqui, et mihi fodi cisternas delectationum terrenarum, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas! Vere oblitus sum comedere panem meum, panem vitae, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem, ventremque porcorum siliquis implere studui! adhuc escae erant olim in ore filiorum Israel, cum ira tua descenderet super eos; et mihi toties pepercisti, qui cibi

potusque intemperantia, tuam, Deus, imaginem et similtudinem brutis non raro similem feci! utinam in posterum cinerem tanquam panem manducem, et potum meum cum fletu misceam, cibusque meus sit, tuam in omnibus facere voluntatem, qui torrente voluptatis tuae potabis nos! *(Ps. 35, 9.)*

VI.

Ps. **129.** *Ut a culpa et poena liberemur.*

De profundis | clamavi ád te, Domine: Domine, | exaudi vócem meam.

Fiant aures tuæ | intendentes: in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitates | observáveris, Domine: Domine, | quis sústinebit?

Quia apud te | propitiátio est: et propter legem tuam | sustinuí te, Domine.

Sustinuit anima mea | in vérbo eius: speravit | anima meá in Domine.

A custodia matutina | úsque ad noctem: speret | Israél in Domino.

Quia apud Dominum | misériсordia: et copiosa | apud éum redemptio.

Et ipse | redimet Israel: ex omnibus | iniquitátibus eius.

Gloria Patri et Filio etc.

Oratio contra invidiam.

Sic, mi Deus, dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares, ut omnis, qui credit in te, non pereat, sed vitam

habeat aeternam? Tu solem tuum oriri facis super bonos et malos, et pluis super iustos et iniustos, et ego, dum aliis bene est, invidia exstimuler? omnia mihi ex voto evenire exoptem, proximi tamen vel minima felicitate contrister? O inhumanam malitiam! O virus infernale! Ignosce, clementissime Pater, quod in eo hactenus a me peccatum est! Benigna est misericordia tua; fac ut et ego ex hoc momento induam, sicut electus Dei, viscera misericordiae, benignitatem, et super omnia caritatem habere studeam, quod est vinculum perfectionis. *(Coloss. 3, 14.)*

VII.

Ps. 142. *Poenitens a via peccati optat reduci.*

Domine, exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: * exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum servo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Oratio contra acediam.

Quando, mi Deus, ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex omnibus viribus meis, uti par est, te amare et laudare incipiam, qui in caritate perpetua dilexisti me, tibique me sponsasti in sempiternum? Eheu! dormitavit anima mea prae taedio. Vae mihi, qui adeo hactenus in tuo ser-

vitio fui tepidus, ut merito formidare possim, ne me incipias evomere ex ore tuo. Sed parce, Domine; ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Expando manus meas ad te; anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus; spiritus autem tuus bonus deducet me, et propter nomen tuum, Domine, vivificabis me.

PRECES ANTE ET POST SS. COMMUNIONEM PERSOLVENDAE.

Accessurus ad sacram Communionem cogita, te a s. Paulo Apostolo moneri his verbis: Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans Corpus Domini (1. *Cor.* 11, 28, 29.) Probatio autem haec — praemissa confessione — consistit in sequentibus:

Pridie Communionis: 1. Desiderium fervens sacrae Communionis aliquoties per diem excita, et sub noctem in his cogitationibus indormisce: Quis est, qui ad me veniet? quis sum ego, qui ad eum vadam? et quomodo ad me veniet? quomodo ad eum vadam, et quomodo a me sumendus? Quare ad me veniet? Veniet, ut omne genus obsequii mihi praestet, amantissimi patris, boni pastoris, consiliarii, magistri, medici, advocati, consolatoris, redemptoris, amici etc. Cur ad eum vadam? ut filius

prodigus ab eo recipiar in gratiam, dirigar, instruar, saner, adiuver, conserver et glorificer. 2. Ex libello pio nonnihil de s. Communione lege v. g. Capitulum ex 4. libro de imitatione Christi. 3. Eleemosynam largire, et aliquod opus misericordiae corporale vel saltem spirituale exerce v. g. orando pro conversione infidelium, haereticorum, peccatorum vel pro defunctis. 4. Ieiuna, aut certe temperantius coena, bolos aliquos sapidiores tibi subtrahe; eo magis sapiet manna coeleste. 5. Solito ferventius preces vespertinas persolve. 6. Aliquod humilitatis vel poenitentiae opus praemitte, et modestius in omnibus te gere.

Ipso die Communionis: 1. Maturius alacriusque e lecto te proripe, et primam cogitationem non de alio concipe, quam de dilecto tuo, quam hodie suscipies. 2. Preces matutinas ferventius recita. 3. Per horae quadrantem, vel semihoram meditare de hoc mysterio et expende: quis ille sit, qui ad te venturus est, ad quem, cur? Iam eum considera ut regem, iam ut patrem, iam ut medicum etc.; te vero ut pauperem, infirmum, miserum etc. 4. Si meditari nescias, saltem e libello pio de hoc beneficio lente et attente per quadrantem horae aliquid lege. 5. Desiderium magnum coelestis huius alimoniae in te excita, saepius ingeminans; Veni, Domine, et noli tardare. *Vel.:* Desidero te millies, mi Jesu, quando venies? me laetum quando facies? me de te quando saties. 6. Exactam peccatorum confessionem (nisi pridie feceris), institue. 7. Sub sacro varios variarum virtutum actus eliciendo, ad actualem devotionem animum inflamma, et ex sequentibus, modo his, modo illis pro opportunitate et gustu tuo utere.

Ante ss. Communionem.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine, Jesu Christe ego peccator, de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Maiestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae, recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, et quem iudicem sustinere nequeo, salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Jesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te, et miserere mei pleni misereriis et peccatis, tu, qui fontem miserationis numquam manare cessabis. Salve salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo Sanguine

redemisti. Poenitet me peccasse; cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear Sancta Sanctorum; et concede, ut haec sancta praelibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen. *(S. Ambrosius.)*

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi; accedo tamquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem; ut panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso,

Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere Sacramentum, sed etiam rem et virtutem Sacramenti. O mitissime Deus! da mihi Corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter eius membra connumerari. O amantissime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen. *(S. Thomas Aquin.)*

Actus fidei. O Jesu, veritas et via, fide firma credo, in hoc admirabili sacramento, quod modo suscipere intime desidero, re ipsa esse divinitatem tuam cum potentia, sapientia et bonitate infinita. Credo in ipso vere praesentem esse sacratissimam humanitatem tuam, cum omni sua perfectione et sanctitate, animam cum potentiis, corpus tuum verum et vivum, integrum et gloriosum; te totum esse sub tota hostia, et totum sub qualibet eius parte, secundum corpus et animam, carnem et sanguinem; et hoc ipsum credo, quia tu, summa veritas et suprema veracitas, dixisti: Hoc est corpus meum.

Credo de hoc mysterio, o Salvator mi, humiliter et simpliciter, quidquid tu nobis

revelasti, et per ecclesiam tuam credendum proposuisti. Credo idem, quod creditum et doctum est ultra mille et octingentos annos a sanctis patribus et ecclesiae tuae doctoribus. — Fallant igitur et fallantur sensus, quod frequens est; obstrepant et blasphement haeretici, quod detestandum est; ego tamen credo infallibilibus verbis tuis, o Jesu, quia tu dixisti, qui nec falli potes, nec fallere, utpote aeterna Patris sapientia et prima veritas. Credo quidquid dixit Dei Filius, hoc verbo veritatis nihil verius.

Actus reverentiae. Sed maiestatem et omnipotentiam tuam considerans, o Domine, totus paveo et contremisco. Nam si Oza tangens arcam foederis, Eucharistiae figuram, mox percussus interiit; quomodo ego carnem tuam, vivam omnis sanctitatis arcam, ausim ore meo impuro tangere? Israëlitae terrore perculsi non ausi sunt ad montem Sinai fumantem accedere, ut legem obtinerent; et quomodo ausim ego peccator ad montem gloriae tuae, ad omnipotentiae tuae sacramentum appropinquare, et legislatorem meum, coeli terraeque Dominum suscipere? Non auderem certe, o Domine, nisi tua iuberet maiestas, et blanda voce invitaret bonitas. Quia ergo dicis: „Venite ad me omnes“; ecce venio, ut reficias me; quia dicis: „Sinite parvulos venire ad me“, ecce adsum, ut

me vere parvulum humilitate et innocentia, tuisque moribus similem reddas.

Actus humilitatis. Verumtamen, o Domine, vilitatem meam cogitans, totus confundor. Non sum ego Angelus aut Archangelus, sed homo, de humo et terrae limo formatus; et illi tremunt coram te, et faciem velant. Non sum Joannes Baptista in utero matris sanctificatus, sed in iniquitate conceptus et natus; et ille indignum se reputat, qui vel corrigiam calceamenti tui solvat. Quid igitur de me sentiam? quid agam? Ecce, Domine, me penitus abiicio, et ad maiestatis tuae pedes humillime prostratus indignitatem meam agnosco et profiteor; et licet mille annis me praepararem, indignus tamen essem, qui ad divinum hoc sacramentum accederem. Tu enim in eo praesens, es dominus, ego servus; tu conditor, ego limus; tu sanctus, ego perversus. Quia tamen me invitas, et mortem minaris, nisi carnem tuam manducavero, festino ad te; et quo miserior ac pauperior sum, eo magis ad fontem omnis boni propero. „Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.“ Veni, o Domine, patent penetralia cordis mei; anhelo ad te, quia amore tui langueo. Sed utinam omnium Sanctorum praeparationes ac virtutes solus haberem, quo dignior evaderem, qui tantum Dominum

suscipiam. Ornent me, o Jesu! merita tua et virtutum decora, ut dignus sim tanta gratia.

Actus spei. O Salvator mi, et spes omnium finium terrae! tu es, Domine, spes mea a iuventute mea; quid mihi negabis, qui te ipsum dabis? Cum tu promiseris: „Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum“; ego ineffabili hac promissione fretus, vi meritorum tuorum, ac virtute huius efficacissimi Sacramenti, spero a te vitam, gratiam ac gloriam sempiternam. Et quid non sperem a te? Tu solus potes dare omnia, quia super omnia potens es; tu dare vis omnia, quia infinite bonus es; da igitur per omnipotentem bonitatem tuam, quae peto, o Domine! Ego infirmus sum, esto medicus et sana me; ego caecus sum, tu lumen, illumina me; ego immundus, tu fons puritatis, ablue me; ego ignorans, tu sapiens, doce me; ego tepidus, tu ignis consumens, accende me; salva me, qui salvos facis sperantes in te; ego enim in te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

Actus amoris. O amabilissime Jesu, quantum teneor amare te! Amo te ex toto corde, quia creasti me; amo te ex tota anima, quia redemisti me; amo te denique ex omnibus viribus meis, quia pretioso corpore et sanguine tuo toties cibasti me. O amator hominum! vere

amor tuus necesse est ut sit infinitus, qui ad tanta nostri causa facienda te adegit, qui te permovit, ut pridie, quam patereris, institueres hoc admirabile Sacramentum amoris, in quo nobiscum perpetuo permaneres et intime te nobiscum coniungeres. O amor infinite! cur ego non vicissim totus ardeo amore tui? Domine, tu scis, quia amo te, et omnibus rebus antepono te, et magis magisque desidero amare; et in signum amoris, accedo ad te, ut arctius uniar tibi. Offero tibi omnia mea, animam et vitam, corpus et cor meum, supplexque peto, ut haec accipias, et coelesti igne amoris tui penitus accendas.

Invocatio B. M. V., SS. Angelorum et Patronorum. Quo confidentius autem digniusque accedam, succurrite mihi, omnes sancti patroni mei, sanctique omnes; tu praecipue sanctissima virgo Maria, quae Deum et hominem purissimis visceribus concipere et portare meruisti, impetra mihi per amorem Filii tui, Spiritus sancti gratiam, ut et ego eum digne recipere et portare merear.

Sancte Angele custos omnesque Angeli, assistite mihi hac hora; cumque me virtutibus et meritis destitutum videatis, vestris, obsecro, me virtutibus et meritis exornate, ne in hoc divino convivio sine veste nuptiali compaream, et velut indignus repellar.

O sancte N., (cuius hodie festum celebratur)', impetra mihi hanc ab Agno Dei gratiam, ut omnia peccata mea, etiam occulta tollat; atque ita in sanguine Agni dealbatus, purissima eiusdem carne cum gustu et fructu reficiar; impetra mihi, ut frigidum pectus meum amore Jesu ardeat, et totum eius amore colliquescat. Amen.

Post ss. Communionem.

Actus adorationis. O Jesu adorande, agnosco et profiteor me opus esse manuum tuarum, te vero supremum animae meae principem; ideoque humillime te velatum adoro in terris, non secus ac Cherubim et Seraphim te revelatum adorant in coelis.

1. Adoro te devote, latens Deitas, * Quae sub his figuris vere latitas: * Tibi se cor meum totum subiicit, * Quia te contemplans totum deficit.

2. Visus, tactus, gustus in te fallitur, * Sed auditu solo tuto creditur; * Credo quidquid dixit Dei Filius, * Nil hoc veritatis verbo verius.

3. In cruce latebat sola Deitas, * At hic latet simul et humanitas: * Ambo tamen credens atque confitens, * Peto quod petivit latro poenitens.

4. Plagas, sicut Thomas, non intueor, * Deum tamen meum te confiteor; * Fac me tibi semper magis credere, * In te spem habere, te diligere.

5. O memoriale mortis Domini, * Panis vivus, vitam praestans homini, * Praesta meae menti de te vivere, * Et te illi semper dulce sapere.

6. Pie pelicane, Jesu, Domine, * Me immundum munda tuo Sanguine, * Cuius una stilla salvum facere * Totum mundum quit ab omni scelere.

7. Jesu, quem velatum nunc aspicio, * Oro fiat illud, quod tam sitio, * Ut te revelata cernens facie, * Visu sim beatus tuae gloriae. Amen. *(S. Thomas Aquin.)*

Actus admirationis. O Jesu admirabilis! licet summe admirer incomprehensibilem potentiam, sapientiam et bonitatem tuam; prae omnibus tamen te admirabilem reddit oculis meis tanta humilitas, et teneritudo cordis tui erga nos miseros mortales, ut maiestatem tuam infinitam in Sacramento abscondas, immensitatem quodammodo coarctes, et sublimitatem humilies, quo facilius nobiscum uniaris. O vere stupenda caritas! o humilitas profunda nimis!

Gratiarum actio. Quas vero gratias referam liberalitati tuae infinitae, o beneficentissime Jesu! pro innumeris donis tuis, praesertim dono omnium praestantissimo, Te ipso? Utinam omnia membra mea verterentur in linguas, quibus bonitatem tuam immensam, ceterasque excellentias laudarem et praedicarem. O Ser-

vator mi! quoties respiro, toties tibi gratias agere desidero, quod esurientem animam meam Corpore et Sanguine tuo refeceris, et ad me hominem peccatorem diverteris.

Actus oblationis. Sed quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus, quae retribuisti mihi? quid habeo ego pauperculus, quod reddam infinitati tuae? Praebe, inquis, fili mi, cor tuum mihi. Ah! Domine, nimis id tepidum et vitiis plenum est! emunda, orna, perfice cor meum, et libentissime totum offeram, ac cum S. Ignatio precabor: Suscipe, Domine, universam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem! quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum; amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Actus amoris. O Jesu amabilissime, propter infinitam bonitatem et amabilitatem tuam amo te super omnia, et omnium Sanctorum cordibus ardentissime te amare desidero! et cum S. Francisco Xaverio, ad pedes tuos prostratus, ex animo dico:

O Deus, ego amo te! * Nec amo te, ut salves me; * Aut quia non amantes te, * Aeterno punis igne. * Tu tu, mi Jesu, totum me * Amplexus es in cruce, * Tu-

listi clavos, lanceam, * Multamque ignominiam, * innumeros dolores, * Sudores et angores, * Ac mortem, et haec propter me, * Ac pro me peccatore. * Cur igitur non amem te, * O Jesu amantissime! * Non ut in coelo salves me, * Aut ne aeternum damnes me. * Nec praemii ullius spe; * Sed sicut tu amasti me, * Sic amo et amabo te, * Solum quia Rex meus es, * Et solum quia Deus es.

Petitio coelesti medico proponenda. O coelestis Samaritane! Ecce quot plagis peccatorum saucius, quot morbis vitiorum afflictus, jaceo! Domine, si vis, potes me sanare. Nam ecce languent aures et oculi curiositatis vitio; sana et averte eos, ne videant vanitatem. Languet lingua et os gulae et loquacitatis morbo; ah! pone custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis. Languet cor amore proprio, et corpus totum peccati fomite; deprecor te, tolle illum a me. Languet anima superbiae, irae et concupiscentiae febribus; illas, obsecro, rore gratiae tuae exstingue. Languent manus, ne laborent pro gloria tua; languent pedes, ne ambulent in viis tuis; confirma me, Domine, in hac hora, et statue pedes meos tanquam cervorum, ut alacriter viam mandatorum tuorum curram, donec praesentem intuear in coelo, quem nunc veneror in Sacramento. Amen.

Piae petitiones S. Augustini.

Domine Jesu, noverim me, noverim te, * Nec aliquid cupiam nisi te. * Oderim me, et amem te. * Omnia agam propter te. * Humiliem me, exaltem te. * Nihil cogitem nisi te. * Mortificem me, et vivam in te. * Quaecumque eveniant, accipiam a te. * Persequar me, sequar te, * Semperque optem sequi te. * Fugiam me, confugiam ad te, * Ut merear defendi a te. * Timeam mihi, timeam te: * Et sim inter electos a te. * Diffidam mihi, fidam in te. * Obedire velim propter te. * Ad nihil afficiar, nisi ad te, * Et pauper sim propter te. * Aspice me, ut diligam te; * Voca me, ut videam te, * Et in aeternum fruar te. Amen.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui, Domini nostri Jesu Christi. Et precor te, ut haec sancta Communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, caritatis et patientiae, humillitatis et obedientiae, omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum

omnium, tam visibilium, quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium, quam spiritualium perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhaesio; atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen. *(S. Thomas Aquin.)*

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima caritate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui; te concupiscat, et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem et omne delectamentum suavitatis; te in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat, et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae; te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem do-

mus Dei; te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat; te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea et cor meum, Amen. *(S. Bonaventura.)*

Respice in me, gloriosissima Virgo Maria, quia dignum obiectum oculorum tuorum nunc factus sum. Loquere pro me bona dilectissimo Filio tuo, qui me Corpore et Sanguine suo suavissime refecit; et offer ei merita tua in supplementum imperfectionis meae. Gratias age ei pro me, et impetra mihi, ut sacramentali sua praesentia non discedat a me, nisi relinquat post se animae meae et corpori meo largissimam benedictionem. Amen.

Commendo me tibi serenissima, vereque inclyta Virgo Maria, coeli terraeque regina, quae eumdem Dominum et omnium

Creatorem, quem ego modo suscepi, de Spiritu sancto conceptum, digne portasti; precor te, Matrem Dei sanctissimam, ut pro me apud eumdem Filium tuum intercedas, et quidquid quacumque ratione in summi huius Sacramenti susceptione deliqui, huius negligentiae et indignitatis meae veniam mihi impetres. Tu semper casta, pura, innocens, post conceptum filium etiam castior, purior, sanctior, Deoque gratior evasisti; utinam et ego tam divini Sacramenti perceptione ita sanctificer, ut deinceps cor et corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum. Tu concepto filio tuo de Spiritu sancto magnificas laudes decantasti et in Deo salutari tuo mirabiliter exsultasti; fac meritis et precibus tuis, Virgo Mater, ut cum hac sacra Communione novum et ardentem spiritum coniungam ac semper in gratiarum actione pie verser, tantoque Redemptori et hospiti me nunquam ingratum exhibeam, sed fidelem in omnibus servum ac ministrum. Amen. *(B. Canisius.)*

Brevior gratiarum actio.

1. Ad quem diu suspiravi * Jesum tandem habeo, * Hunc amplector, quem optavi, * Quem optavi teneo! * Omnes meae exsultate * Facultates animae, * Exsultate, triumphate * Et ingresso plaudite!

2. Tristis eram et abiectus, * Eram sine gaudio, * Quia aberat dilectus, * Quem

prae cunctis diligo. * Sed ut venit et intravit * Animae tugurium, * O quam dulce permeavit * Meum cor solatium!

3. Non sic terras umbris tectas * Gratus sol illuminat, * Non sic aestibus deiectas * Nimbus herbas recreat. * Sicut animam languentem * Refocillat Dominus, * Hanc tristantem et torpentem * Novis donat viribus.

4. Felix dies, felix hora, * Qua me, Jesu, visitas, * Pulchra nimis et decora * Lux, ad me qua properas. * Qui Te tenet habet satis, * Quia, qui Te possidet, * Uberem felicitatis * Verae fontem obtinet.

5. Quis non Tuam admiretur * Bonitatem Domine, * Si quod facis, meditetur, * Serio examine! Ad Te ruo, ad me ruis * Et me sinis protinus * Immiscere meos Tuis * Amplexus amplexibus.

6. Nihil eram, me creasti * Ex obscuro nihilo * Divinaeque me donasti * Rationis radio * Pro me nasci voluisti * In deserto stabulo * Et finire morte tristi * Vitam in patibulo.

7. Praeter dona, quibus ditas * Me diebus singulis, * Dapes hodie mellitas * Datis addis gratiis. * O voluptas cordis mei * Jesu dilectissime * In me regna, Fili Dei * Regna, regna libere!

8. In me proprium amorem * Tam potenter eneces, * Ut Te amem et adorem * Solum, sicut dignus es; * In me tolle,

quod est puris * Grave Tuis oculis * Ut sic arctius venturis * Tibi iungar saeculis.

9. Oriente sole mane, * Occidente vespera, * Bone Jesu, mecum mane * Mecum semper habita! * Nil a Te, nec mors nec vita, * Nil a Te me separet. * Unio sit infinita, * Quam vis nulla terminet!

10. Canam donec respirabo * Gratiarum cantica, * Millies haec iterabo * In coelesti patria. Quando Te, remoto velo, * Sicut es, aspiciam. * Et cum Angelis in coelo * In aeternum diligam. — Amen.

Anima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me,
Sanguis Christi inebria me,
Aqua lateris Christi lava me,
Passio Christi conforta me,
O bone Jesu, exaudi me,
Intra vulnera tua absconde me,
Et ne permittas me separari a te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meae voca me,
Et iube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te
In saecula saeculorum. — Amen.

PRECES AD LUCRANDAS INDULGENTIAS

vel sibi, vel animabus in purgatorio detentis applicandas.

Oratio praeparatoria. Omnipotens sempiterne Deus, cuius misericordia a pecca-

tis omnibus, aeternaeque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus poenis obnoxius permaneam; cum vero his diluendis opera mea non sufficiant, ad inexhaustum meritorum unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, Sanctorumque thesaurum confugio, ut huius abundantia tenuitati et indigentiae meae subveniatur. Promptum me ad omnia, quae hunc in finem praestanda sunt, offero. Suscipe ea, o Pater misericordiarum, in unione passionis et mortis eiusdem Filii tui, plenariaeque huius indulgentiae me, licet indignum, fac participem. Amen.

1. Oratio ad Deum Patrem
pro exaltatione s. matris ecclesiae.

Memento, o Pater aeterne, congregationis tuae, quam possedisti ab initio. Agnosce ecclesiam velut sponsam unigeniti Filii tui, pro qua ipse sanguinem suum profundere non dubitavit; hanc obsecro, sanctitatis decore, gratiarum opibus, haereditatis amplitudine ita exalta, ut digna compareat tali sponso, tantoque redemptionis pretio. Respice benigne eiusdem s. matris filios, eorumque numero universas gentes associa, ut omnes te, Deum Patrem et quem misisti, Jesum Christum, una cum s. Spiritu fide viva agnoscant, spe firma invocent, et caritate perfecta complectantur. Amen.

Pater noster etc. Ave Maria etc.

V. Vide, Domine, et visita vineam istam,
R. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

Oremus. Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus, noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit etc.

2. Oratio ad Deum Filium pro exstirpatione haeresum.

O Jesu, lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Fac, oro, per inaestimabilem passionis et mortis tuae virtutem, ut pulsis haeresum et errorum tenebris, veritatis tuae lumen omnes amplectantur, et in optatum ecclesiae tuae gremium confluant. O pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti, gregem tuum protege et contra vim insidiasque eorum defende, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Fac, ut unum omnes pastorem admittant, et unum omnium sit ovile. Mane nobiscum, Domine, quoniam dixisti: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi. Ostende ecclesiam tuam aedificatam esse super petram, et portas inferi non praevalere adversus eam. Amen.

Pater noster etc. Ave Maria etc.

V. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi,

R. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Oremus. Ecclesiae tuae, quaesumus Domine, preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus et erroribus universis, secura tibi serviat libertate. Per Christum Dominum etc.

3. Oratio ad Spiritum sanctum, pro concordia christianorum principum.

O s. Spiritus, Spiritus amoris et pacis, qui tot tamque diversas gentes in unitate fidei congregasti; largire christianis principibus, eorumque consiliariis abundantiam tuae gratiae, novoque illo caritatis mandato, quod Christus abiens ex hoc mundo discipulis suis dedit, eorum corda imbue, ut ex hoc omnes agnoscant, eos in numero electorum tuorum censendos, et christiano nomine dignos esse. Fac, ne ulla unquam cupiditate abducti, quidquam moliantur, quod divinae tuae gloriae concordiaeque ecclesiae adversetur, sed coniunctis potius viribus ad pacis aeternae visionem, ad coelestem Jerusalem populum sibi subiectum secum perducere nitantur. Amen.

Pater noster etc. Ave Maria etc.

V. Fiat pax in virtute tua,

R. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus. Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et iusta sunt opera; da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis

tuis dedita et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum etc.

Oratio ad ss. Trinitatem,

qua peractorum operum, quae ad indulgentias lucrandas praescripta erant, fit oblatio.

Praestitisse nunc mihi videor, o ss. Trinitas, quaecumque ad plenariam debitarum poenarum indulgentiam impetrandam praescripta erant. Haec et multo plura divinae maiestati tuae, utpote innumeris eidem nominibus obstrictum, praestare me oportuisset. Infinitae bonitati tuae profusaeque in nos, licet indignissimos, liberalitati tribuendum est, quod tam cumulate vilissima debitae servitutis nostrae opera remunereris. Suscipe ergo, o ss. Trinitas, opera a me quomodocumque praestita, et fac, ut horum defectus passione et morte Domini nostri Jesu Christi, eiusdemque sanguine pretiosissimo pro nobis effuso suppleantur: atque ita me (vel animam istam) plenariae huius indulgentiae fac participem. Pro quo beneficio tibi coelum et terra mecum laudes et gratiarum actiones cantent, nunc et in perpetuum. Amen. Pater noster etc. Ave Maria etc.

Oratio ante imaginem crucifixi recitanda.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum poenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero, ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod iam in ore ponebat suo David propheta de te, o bone Jesu: „Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.“ *(Psalm. 21, 17—18.)*

CONSIDERATIO PRO DELIBERANTIBUS DE VITAE STATU ELIGENDO.

Amice! sive credas, sive non credas, sive velis, sive nolis, sive tibi domineris, sive non domineris — non habes hic

manentem civitatem. — Abibis, morieris, sic statutum est omnibus hominibus — Morieris, quâ non putabis horâ — Morieris desertur us omnia et ab omnibus deserendus. — Intrabis in aeternitatem semper duraturam, numquam finiendam, felicem inter superos, ubi omne bonum — aut infelicem inter inferos, ubi omne malum. — Utraque in tua libertate est; elige ergo, sed simul intellige: saltem de lege Dei ordinaria felix aeternitas consequitur mortem bonam, mors bona vitam bonam; infelix aeternitas consequitur mortem malam, mors mala vitam malam.

Unde, si bene mori cupias, indeque in aeternum beatus esse, et extraordinarios Dei favores tibi polliceri nequeas, necessario debes bene vivere.

Bene vivere est declinare a malo, quod adhuc committi potest, per cautelam; quod iam commissum est, per poenitentiam; et facere bonum, exercitio virtutum erga Deum, teipsum et proximum, quod aspirante et adiuvante divina gratia quivis potest in quovis vitae statu, saeculari, ecclesiastico, religioso; sed cave hic lapidem offensionis, et bene adverte: posse bene vivere non est bene vivere; possunt omnes, pauci

tamen bene vivunt. — Causam postulanti binas tibi affero: sunt in statu uno tam ad facienda bona, quam ad declinanda mala pauciora auxilia et media, quam in altero; sunt insuper in uno statu plura boni faciendi impedimenta, plures malorum occasiones et plura pericula, quam in altero, quibus non abripi et non peccare idem est ac inter spinas non cruentari, inter laqueos non capi, inter fluctus non submergi, inter flammas non aduri, inter scorpiones non vulnerari, in labyrintho non errare, quod paucorum est et prope miraculum. Sunt ex adverso in statu uno auxilia et media plura et efficaciora bene vivendi quam in altero, occasiones et pericula pauciora et minora male vivendi, ita, ut in hoc statu bene vivere cuique non affectanti male vivere non tantum facile sit et iucundum, sed pene necessarium.

Unde prudenter cogitari licet in uno statu plures in aeternum damnari, in altero statu plures in aeternum salvari. — Quare mente serenâ, animo ab omni perturbatione libero coram Deo, nunc Patre amantissimo, aliquando Judice severo de statu vitae eligendo delibera. — Quodsi forsitan haeres, et tuo diffidens iudicio, consiliarios quaeris, adhibe incorruptos, vere sapientes: Con-

fessarium pium et doctum, hominem in mortis articulo constitutum, animam ad Dei Judicis tribunal stantem, amicos in purgatorio detentos, Angelos custodes, Beatos omnes, quin etiam epulonem illum, de quo S. Luc. 16., cunctosque denique damnatos; prae omnibus autem adi amantissimum tui Christum Jesum. Suadebunt uno ore omnes: Si sapis, si te amas, elige securiorem vitae statum.

ORATIONES DELIBERANTIS DE ELIGENDO VITAE STATU.

Veni sancte Spiritus etc. *cum Oratione:* Deus, qui corda fidelium etc. *pag. 61.*

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam; mitte illam de coelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, quid placeat tibi, Domine Deus; sensum enim tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis.

O Jesu amantissime, via vera ad vitam, ego sum puer parvulus et ignorans egressum et introitum meum, tu vero aeterna Patris sapientia omnia nosti. Quare me tibi indifferentem sisto, et promptum offero, ut sequar te quocumque me vocaveris. Si me in mundo saecularem tibi servire vis; ecce me, tantum tribue, ne

vitam a statu hoc degenerem instituam. Si me in ordine religioso tibi per vota arctius obstrictum desideras; ecce me, paratum cor meum; tantum trahe me, ut curram in odorem unguentorum tuorum: nec daemon, nec caro, nec mundus, nec omnia, quae in eo sunt, a sequela tua me retardabunt. Id unum peto, „vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.“

Oratio ad B. Virginem.

O Maria, inventrix gratiae, et ianua vitae, ego in trivio constitutus periculorumque mihi impendentium ignarus ad maternum sinum tuum confugio, et lumen opemque efflagito. Intercede pro me apud Filium tuum dilectum, ne statui illi implicer, in quo me aeternum periturum prospicit, sed ad illum me vocet, in quo salutem consecuturum praevidet. En ego in manu tua et Filii tui, sicut lutum in manu figuli. Utinam fiam vas in honorem et non in contumeliam, ut sequar, laudem et glorificem Filium tuum cum Sanctis in aeternum. Amen.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

O Angele mi custos, me rege, illumina, et Deum roga, ut absque errore illum vitae statum amplectar, in quo sanctius ei serviam, altiorem perfectionis gradum conscendere valeam, quo tecum Deum cla-

rius videam, et ardentius amem in saecula. Amen.

Oratio pro constantia in vocatione.

Domine, mi Deus, qui viam mihi monstrasti, in qua ambulem; da quoque gratiam, ut voluntatem tuam quantocius expleam, omnia impedimenta vincam atque in statu tibi placenti usque ad mortem perseverem. Tu „qui dedisti cognoscere et velle, da etiam perficere," per Christum Dominum nostrum. Amen.

METHODUS VITAE CHRISTIANAE.

(Ex Idea theologiae asceticae P. Neumayr S. J.)

Principia generalia.

Omnia honeste et secundum ordinem fiant. *I. Cor. XIV. 40.*

I. Praeter fugam peccati Deus a nobis ordinarie non exigit opera extraordinaria, sed quotidiana; ex his enim, non ex illis vita nostra componitur.

II. In operibus quotidianis Deus amat ordinem; vult enim, ut quae agimus, ex regula sanae rationis, non ex impetu agamus.

III. In ordine Deus desiderat methodum; pluris enim aestimat adverbia, quam verba, quia bona debent fieri bene, ut sint integre bona.

Ex his principiis, quae nemini dubia vi-

deri possunt, sequuntur conclusiones, quas subiicio, iuvenibus praecipue quidem accomodatae, sed omni hominum generi faciles, atque ad merita pro coelo cumulate coacervanda apprime utiles, maxime, si ultima die cuiusvis mensis quisque de se examen instituat et in illis tanquam in speculo videat, profeceritne per eum mensem in spiritu, an defecerit.

Hora statuta surge constanter, celeriter, devote.

Constanter, sine excusatione. Corpus est servus piger, qui libenter mentitur; si facile credis, levis es corde.

Celeriter, sine mora. Reprobi lente movebunt se, cum audient clangentem tubam; Surgite mortui! Electi alacriter prosilient de sepulchris.

Devote, cum bona praxi, quasi hac sola die esses victurus. Sic incipe diem, quasi aut primus vitae, aut postremus foret.

Missam audi reverenter, attente.

Reverenter, sancta sancte. Compone te ad Christi in horto se sacrificantis exemplum; sic oculos, sic manus ille, sic ora ferebat, ut orantis modestia exterior devotionem animi et significaret et adiuvaret. Idem a te fides postulat, et professio fidei.

Attente, saltem ad praecipuas partes.

Incipe cum publicano et ad Confiteor dic: Deus optime, maxime! Deus, propitius esto mihi peccatori, confitenti, dolenti, deprecanti!

Ad Offertorium impone patenae cor, et dic cum Davide: Deus! cor contritum dolore serio, et humiliatum pudore maximo, ne despicias. Ad sanctae hostiae elevationem pete cum eodem: ut cor mundum creet in te Deus, et dic: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, tolle etiam mea; atque, quando, mutatus in leonem veneris iudicare, noli me condemnare. Ad elevationem sancti calicis iterum cum Davide supplicans ora, ut Deus in te spiritum rectum innovet, spiritum sanctum non auferat a te, et spiritu principali confirmet te. Ad sanctam Communionem dona te Deo, qui se tibi donavit, dic ei cum Augustino: Posside me, oculos, aures, linguam, manus, pedes, cor, animam, totum me! totus tuus sum, totus in aeternum sim!

Ita vagae mentis impetus coercetur, et phantasiae licentia paulatim freno adsuescit.

Ora quiete, cunctanter.

Quiete, hoc est, in loco, in quo nihil mentem turbat aut distrahit, et tem-

pore, quo nihil urget, ut festines. Turba hominum, et turba negotiorum orationem inficiunt et carpunt, uti muscae dulciaria.

Cunctanter, qui orat, non agit negotium leve; cur praecipitet? Fluvius quamdiu intra ripas constrictus placide fluit, limpidas aquas trahit; cum evagatur, factus rapidior, limum et sordes colligit.

Conversare amice, caute.

Amice, nec offende, nec offendere. Efferventis Ismaelis hoc crimen fuit, extendisse manus suas contra omnes, et irritasse manus omnium contra se. Ad multa caecus, surdus et mutus esto, ne pacem turbes, et rixas cieas.

Caute, nec omnibus, nec nulli fide; nec omnia, nec nihil crede; nec omnia, nec nihil lauda. Inter homines vivis, non inter Angelos; nec semper, nec nunquam fallunt. Saepe sub ovis pelle lupus latuit.

Obedi alacriter, integre.

Alacriter, tanquam si vox imperantis de coelo allaberetur. Quod homini facis, coactus et tristis facis; obedire Deo iucundum est.

Integre, non obiter, non ad speciem. Deus, qui iussit, videt, quid facias, et quo modo; num ovem scabie infectam offeres?

Comede medice, modice, modeste.

Medice, sic, ut a noxiis cibis, vel

potu tibi temperes, Etiam dulce venenum, venenum est; sub te sit appetitus tuus, non tu sub illo.

Modice, sic, ut semper surgas a mensa, cum aliqua fame. Qui credit male se pransum esse, nisi turgeat venter, non se, sed morbos, eosque et corporis et mentis, pascit.

Modeste, sic, ut in modo teneas medium. Aliud est sorbillare et delibare, quod faciunt pocillatores et coqui, aliud vorare et haurire, quod agunt pecudes. Festina lente, sic medium tenes.

Recrea te honeste, humaniter, hilariter.

Honeste, apage illa recreationum genera, ex quibus animae periculum imminet. Sit selectio in sociis, modo et loco. Semper fuga angulos et angelum time.

Humaniter, homo homini reverentiam debet, etiam familiari. Aqua et terra res bonae sunt, sed si misceas, lutum fiet. Sic familiaritas cum eodem sexu parit contemptum, cum dispare periculum; nam pudor, custos virtutis, perit: succedunt Bacchus, Venus, Bellona, turpes Dii.

Hilariter, sed intra limites. Medicina sit recreatio, non cibus; admittatur, sed raro, sed parce, sed probe ab invito. Ludere non est malum; at nimis affici

ludo laedit animum et a seriis ad nugas trahit. Non ut ludas vivis, sed ut vivas, ludis.

Labora et stude ordinate, serio.

Ordinate, ita ut suum tempus habeant labores necessarii primum, libere suscepti deinde. Sic agens, non quod placet, agit, sed quod decet et iuvat agi. Ordo est via regia, per quam itur ad terminum sine multo labore, et sine ambagibus.

Serio, nempe cum debita applicatione virium. Spectator, adiutor, remunerator Deus te excitet ad diligentiam. Nemo diligentius applicat manus operi, quam qui oculos in coelo figit, et cogitat, cui laboret.

Vince te ipsum frequenter, fortiter.

Frequenter, ita assuesces esse dominus tui. Oculi, aures, lingua, manus, pedes, gula, amor, ira, desiderium, timor, tristitia, gaudium saepe per impetum te invadent, ut rapiant deorsum; sed rapi truncorum est et cadaverum; homo vivus contra torrentem nititur.

Fortiter, delicatus pusio non est natus ad magna; robur ex tolerantia nascitur. Ne vive molliter, si vis diu vivere, et multo magis, si pie; nec enim Deum amat, qui inordinate amat se.

Exerce devotiones liberas breviter, suaviter.

Breviter, nam si longae sint, aut misere exsequeris, aut cito omittes. Non interest, quantum facias, sed ex quanto affectu. Aureus unus multis denariis aequi valet. Etiam exiguis devotionibus pretium fervor facit et constantia, sicut adamanti fulgor et durities.

Suaviter, id est, libere et sine tristi necessitate, ita, ut scrupulum non moveas tibi, si vel mutes cum suadetur devotio melior, vel omittas, cum iusta adest causa. Homo immobilis est statua hominis; prudentis est, mutare consilium, cum mutantur circumstantiae.

Suspira saepe, sincere.

Saepe, et saltem semel omni hora. Quod respiratio est corpori, hoc oratio animae; refrigerat. Cum exis domo, cum inter prospera, inter adversa, in periculis corporis, in angustiis mentis, in rebus dubiis eris, iaculare in coelum amoris iaculum; nubes penetrat; ascendit oratio, et descendet Dei miseratio. Pharetram, unde sagittas promas, oratio dominica exhibet.

Sincere, puta, de corde, non ex ore. Si bene orare vis, ama, et ama per omnes modos. Dic: Amo te, mi Deus, ex toto corde! ah! quam sero! — Ama anima mea; ama amabilem Deum, etiam

cum ferit, ama! — Utinam amavissem! semper pereat hora, quae sine amore fluxit! — Da, ut amem te amplius, o Deus amoris, ut amen amplius! — Cupio sine fine amare, sine fine! — Nemo certius declinat malum, quam qui sic actiones suas coniugare didicit cum amore.

Utere Sacramentis avide, recte.

Avide, nam Christus invitat; coena magna parata est. Famem non habes? Signum est, quod alium cibum habueris, quo te opplesti. Siliquas sperne, ut appetitus redeat panis Angelorum. Quod corpus ieiunet, probo; sed anima epuletur splendide, quoties licet.

Recte, cave, ne compareas non vestitus veste nuptiali, quae est gratia et devotio. Sic erit tibi hoc convivium iucundum, convivium, in quo Christus sumitur, Salvator, non iudex; in quo recolitur memoria passionis Eius, non passio renovatur; in quo mens impletur gratia, non maledictione, in quo futurae gloriae pignus datur, non stigma reprobationis inuritur.

Examina conscientiam quotidie, accurate.

Quotidie, quia quotidie peccas. Nisi facias, facile consuetudinem peccandi contrahis. Licet autem fugi non possit omne peccatum, fugi tamen debet omnis con-

suetudo peccati; etiam in venialibus consuetudo caudam malorum trahit.

Accurate, ex hora in horam. Speculum tibi Crucifixus exhibet; in ipso te vide, et caput tuum, oculos tuos, aures tuas, linguam tuam, pedes et manus, corpus et cor tuum ad illud examina; videbis te ad pudorem, et dolebis ad fructum; nam sic nox erit felix, et bona dies sequetur, vel si in orbe altero evigilares.

PRECES IN VISITATIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI PERSOLVENDAE.

Laudetur et superexaltetur omni momento sanctissimum et divinissimum (Eucharistiae) Sacramentum.

Laudetur sanctissimum Sacramentum, tot laudibus, quot in coelo stellae, in igne scintillae, in aëre atomi, in mari guttae, in terra pulveres; quot corporeae in universo sunt creaturae, quia omni laude dignissimus es, Domine universorum, qui sub corporeis vini panisque speciebus lates. Vere tu es Deus absconditus. *(Isa. 45.)*

Laudetur sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot ullo opere exhiberi, quot ore proferri, quot mentibus omnium hominum excogitari possunt; quia omni laude dignissimus es, Domine, cuius redempti sumus pretioso Sanguine, quasi Agni immaculati. *(I. Pet. I.)*

Laudetur sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot omnes Angeli, imo quot ipsa sanctissima Trinitas sua potentia depromere, sua sapientia concipere, sua bonitate optare potest; quia dignus es Domine Deus, qui mihi donas non tantum humanitatem, verum etiam divinitatem tuam, vere „laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.“ *(Dan. 3.)*

Adoro te devote, latens Deitas, etc. *vide supra pag. 108.*

Suavissime Jesu, qui excessu singularis tui erga nos amoris in Sacramento altaris nobiscum manere voluisti! agnosco te supremum Dominum ac Deum meum; profundissima cum humilitate te hic praesentem adoro, gratiasque tibi ago ex toto corde de infinito, tenerrimoque amore, quem nobis in hoc Sacramento exhibes, etsi saepe indignissimis modis te tractemus. Plenus dolore ob hanc summam iniuriam et ingratitudinem, o Deus maiestatis! ad te supplex venio, deprecaturus pro omnibus profanationibus, sacrilegiis et impietatibus contra adorandum hoc Sacramentum unquam admissis, aut deinceps admittendis. Utinam, mi Deus! magnitudine doloris contestari possem, quantopere me affligat, quod ipsemet, heu dolor! tanta cum irreverentia saepius coram te comparuerim et tam exiguo cum amore ac fervore te suscipere praesumpserim!

Obliviscere, Domine iniquitatum mearum, ut recorderis solummodo misericordiae tuae. Ratum habe sincerum, quo flagro, desiderium, ut una mecum omnes Angeli et homines te honorent in hoc Sacramento amoris. Ita, Domine! toto affectu cupio te in eo amare, benedicere, laudare, adorare, quantum omnes Sancti et Angeli te amant, benedicunt, adorant, rogans per hoc adorandum Corpus et Sanguinem pretiosum, quibus supplex advolvor, ut deinceps tanta cum reverentia te adorem, tamque digne suscipiam, ut post mortem tuas laudes cum omnibus Sanctis merear in aeternum praedicare. Amen.

Quam gratum, quamque dulce mihi foret, amabilissime Jesu, eorum esse e numero felicissimorum Christianorum, quibus puritas conscientiae, et tenera devotio frequentem, imo quotidianum permittunt ad mensam tuam divinam accessum! Quam felix sors mea foret, si hoc momento te suscipere, corde meo complecti, totumque possidere, te in ea adorare, tibi necessitatem et indigentiam meam exponere, et participem me reddere possem gratiarum, quas iis largiris, quibus te ipsum praebes in cibum sacramentalem. Verum quia tanto favore indignissimus sum, supple, mi Deus, defectum dispositionis animae meae. Indulge veniam peccatorum meorum, quae toto animo detestor, quia tibi

displicent, summo et unico bono meo. Non dedignare sincerum desiderium, quod habeo, me tibi perfecte coniungendi. Sanctifica me vel unico benigno favore gratiae tuae, et constitue me eo in statu, ut brevi merear te digne suscipere.

Auge, mi Deus, fidem meam per virtutem huius divini Sacramenti, conforta spem meam, accende caritatem meam, reple et incende cor meum amore tui, ut nihil praeter te spiret, nec iam vivat nisi propter te. Amen.

Litaniae de sanctissimo Sacramento.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, — miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, — miserere nobis.
Panis vivus, qui de coelis descendisti,
Deus absconditus et Salvator,
Frumentum electorum,
Vinum germinans virgines,
Panis pinguis et deliciae regum,
Juge sacrificium,
Oblatio munda,
Agnus absque macula,
Mensa purissima,
Angelorum esca,

Miserere nobis.

Manna absconditum,
Memoria mirabilium Dei,
Panis supersubstantialis,
Verbum caro factum, habitans in nobis,
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Mysterium fidei,
Praecelsum et venerabile Sacramentum,
Sacrificium omnium sanctissimum,
Sacrificium vere propitiatorium pro vivis et defunctis,
Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur,
Stupendum supra omnia miraculum,
Sacratissima dominicae passionis commemoratio,
Donum transcendens omnem plenitudinem,
Memoriale praecipuum divini amoris,
Divinae affluentia largitatis,
Sacrosanctum et augustissimum Mysterium,
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum Sacramentum,
Incruentum Sacrificium,
Cibus et conviva,
Dulcissimum convivium, cui assistunt Angeli ministrantes,
Vinculum caritatis,
Offerens et oblatio,
Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata,

Miserere nobis.

Refectio animarum sanctarum, — miserere nobis.
Viaticum in Domino morientium, — miserere nobis.
Pignus futurae gloriae, — miserere nobis.
Propitius esto, — parce nobis, Domine.
Propitius esto, — exaudi nos, Domine.
Ab indigna Corporis et Sanguinis tui susceptione, — libera nos, Domine!
A concupiscentia carnis,
A concupiscentia oculorum,
A superbia vitae,
Ab omni peccandi occasione,
Per desiderium illud, quo hoc Pascha cum discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem, qua discipulorum pedes lavisti,
Per ardentissimam caritatem, qua hoc divinum Sacramentum instituisti,
Per Sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in altari reliquisti,
Per quinque vulnera huius tui Corporis sacratissimi, quae pro nobis suscepisti,
peccatores, — Te rogamus audi nos!
Ut nobis fidem, reverentiam et devotionem erga hoc admirabile Sacramentum augere et conservare digneris, — Te rogamus etc.
Ut ad frequentem usum Eucharistiae, per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris, — Te rogamus etc.

Libera nos, Domine!

Ut nos ab omni haeresi, perfidia et cordis caecitate liberare digneris, — Te rogamus etc.
Ut sanctissimi huius Sacramenti pretiosos et coelestes fructus nobis impertiri digneris, — Te rogamus etc.
Ut in hora mortis nostrae hoc coelesti viatico nos confortare et munire digneris, — Te rogamus etc.
Fili Dei, — Te rogamus etc.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — miserere nobis.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. — Ave Maria.
V. Panem de coelo praestitisti eis,
R. Omne delectamentum in se habentem.
V. Domine, exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.
Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti; tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.
Benignissime Jesu, a quo manant in nos

omnia bona, per quem omnia a nobis mala arcentur; averte a me omnem vanitatem, mentis elationem, carnis libidinem, oris licentiam, contemptum inopum, avaritiae ardorem, et quidquid demum divinae Maiestati tuae displicet, ut tibi, Deo meo in veritate serviam, et te corde perfecto laudem et glorificem in saecula. Amen.

O bone Jesu, quem hic vere agnosco praesentem! fac, obsecro, ut sentiat anima mea virtutem praesentiae tuae et infunde in eam gratiae tuae lumen. Da mihi sensum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, efficaciam in opere, gratiam in conversatione, profectum in studiis, processum in conceptis, solamen in adversis tutelam in prosperis, ut quocumque me verterim ubique gratia et misericordia tua praecedat me. Si errem, reduc me, si ignorem doce me; si peccem corripe me; si trister consolare me; si cadam, erige me; da mihi gratiam verius te cognoscendi, ardentius te diligendi, sincerius in te credendi et tutius te sequendi.

O dulcissime Jesu, qui vere hic es Deus absconditus! concede mihi, quaeso, quae tibi placent, diligenter et ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere ad laudem et gloriam nominis tui. Vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me; quod a me requiris tribue, ut sciam, et

da exsequi, sicut oportet et expedit animae meae. Da mihi gratiam non deficiendi inter prospera et adversa, ne extollar in illis, neve deprimar in istis. De nulla re gaudeam vel doleam, nisi quae ducat ad te, vel abducat a te; nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi soli! Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et cara sint mihi omnia tua et tu, mi Deus, plus quam omnia! Taedeat me gaudii, quod est sine te, nec cupiam aliquid, quod est extra te; delectet me labor, qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies, quae non est in te. Da mihi, o bone Jesu, gratiam, cor meum frequenter ad te dirigendi, omnia in caritate faciendi, quasi mortuum reputandi quidquid ad cultum tuum non pertinet, actiones meas non ex consuetudine peragendi, sed devote ad te dirigendi. Fac me humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine deiectione, maturum sine asperitate, veracem sine duplicitate, te timentem sine desperatione, in te sperantem sine praesumptione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione. Da mihi etiam, dulcissime Jesu, cor pervigil, quod nulla a te abducat curiosa agitatio; da cor immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da invictum, quod nulla frangat vel fatiget tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta delectatio; da

rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio. Largire mihi intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te fideliter exspectantem, fiduciam te feliciter amplectentem, tuis poenis configi per poenitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam et tandem gaudiis tuis in pace frui per gloriam. Amen. *(Ex oratione St. Thomae familiari.)*

Domine Jesu, noverim me etc. *(vide supra pag. 112.)*

Commendo me tibi, o bone Jesu! intra mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me separari a te. Sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium. Id rogo te pro me, et pro omnibus fratribus et amicis meis, per lacrymas, sudorem et sanguinem tuum. Amen.

Benedic mihi, Domine Jesu, cum Patre et sancto Spiritu, uberemque largire gratiam amplectendi semper et in omnibus, nunc et in hora mortis tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

Actus consecrationis ad sacratissimum Cor Jesu.

Dulcissime Jesu, fons amoris, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ineffabiles cordis tui divitias nobis miseris et indignis aperire dignatus es;

ego N. in gratiarum actionem pro innumeris in me ceterosque homines collatis beneficiis ac praesertim pro SS. Eucharistiae institutione, et ad reparandas iniurias omnes a me et ab aliis quibuscumque in hoc infiniti amoris mysterio Cordi tuo amantissimo illatas eidem sacratissimo Cordi tuo me totum et omnia mea devoveo cum omnibus bonis ac meritis ex gratia tua acquisitis vel acquirendis, promittens me divini Cordis tui cultum quantum pro mea tenuitate licuerit, propagaturum.

Insuper beatissimam Virginem Mariam peculiarem matrem mihi eligo, huiusque purissimo cordi me et omnia mea pariter trado ac devoveo, promittens me huius piissimae matris cultum iuxta ecclesiae mentem, quantum in me erit, propagaturum.

A tua ergo immensa bonitate et clementia peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris, et ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ac explendum gratiam uberem largiaris. Amen.

Piae aspirationes ad Cor Jesu.

Oh! quam bonum et quam iucundum habitare in Corde hoc! Quis illud cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amans non redamet! *(S. Bern. serm. 3. de Pass.)*

Cor Jesu, cor novum crea in me, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Cor Jesu amabilissimum! quis separabit cor meum ab amore tui? tu scis quia amo te.

Cor Jesu mitissimum, humillimum, patientissimum, dirige cor nostrum secundum cor tuum.

Cor Jesu, sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium.

Cor Jesu, flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

Litaniae de sacratissimo Corde Jesu.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe, audi nos; — Christe, exaudi nos.
Pater de coelis, Deus, — miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, — mis. etc.
Spiritus sancte, Deus, — mis. etc.
Sancta Trinitas, unus Deus, — mis. etc.
Cor Jesu, verbo Dei substantialiter unitum,
Cor Jesu, divinitatis sanctuarium,
Cor Jesu, sanctae Trinitatis templum,
Cor Jesu, sapientiae abyssus,
Cor Jesu, bonitatis oceanus,
Cor Jesu, misericordiae thronus,
Cor Jesu, thesaurus numquam deficiens,
Cor Jesu, de cuius plenitudine omnes nos accepimus,
Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra,
Cor Jesu, virtutum omnium exemplar,
Cor Jesu, infinite amans, et infinite amandum,

Miserere nobis.

Cor Jesu, fons aquae salientis in vitam aeternam,
Cor Jesu, in quo sibi Pater bene complacuit,
Cor Jesu, propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Jesu, propter nos amaritudine repletum,
Cor Jesu, usque ad mortem in horto tristissimum,
Cor Jesu, opprobriis saturatum,
Cor Jesu, amore vulneratum,
Cor Jesu, lancea perforatum,
Cor Jesu, in cruce sanguine exhaustum,
Cor Jesum, attritum propter scelera nostra,
Cor Jesu, etiam nunc ab ingratis hominibus in sanctissimo amoris Sacramento dilaceratum,
Cor Jesu, refugium peccatorum,
Cor Jesu, fortitudo debilium,
Cor Jesu, consolatio afflictorum,
Cor Jesu, perseverantia iustorum,
Cor Jesu, salus in te sperantium,
Cor Jesu, spes in te morientium,
Cor Jesu, cultorum tuorum dulce praesidium,
Cor Jesu, deliciae Sanctorum omnium,
Cor Jesu, adiutor noster in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Misérere nobis.

Agnus Dei etc., exaudi nos, Domine.
Agnus Dei etc., miserere nobis.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos,
Pater noster ... Ave Maria ...
V. Jesu, mitis et humilis corde,
R. Fac cor nostrum secundum cor tuum.
V. Domine, exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.
Oremus. Concede, quaesumus omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui corde gloriantes, praecipua in nos caritatis eius beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu.

Domine Jesu, qui ineffabiles Cordis tui divitias ecclesiae tuae novo beneficio aperire dignatus es; concede, ut huius sacratissimi Cordis amori respondere, et iniurias eidem afflictissimo Cordi ab ingratis hominibus illatas, dignis obsequiis compensare valeamus, per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Commemoratio cordis beatae Mariae Virginis.

Ant. Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo. *(Luc. II. 19.)*

V. Cor Mariae immaculatum,
R. Amore Jesu, quo ardes, accende cor nostrum.
Oremus. Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem miserorumque perfu-

gium cor sanctissimum et immaculatum Mariae divino Cordi Filii ipsius Jesu Christi caritate et misericordia simillimum esse voluisti; concede, ut qui huius dulcissimi et amantissimi cordis memoriam agimus, secundum Cor Jesu inveniri mereamur, per eumdem Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum. Amen.

Litaniae de ss. Nomine Jesu.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos; — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, — mis. etc.
Spiritus sancte, Deus, — miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus,
Jesu, Fili Dei vivi,
Jesu, splendor Patris,
Jesu, candor lucis aeternae,
Jesu, Rex gloriae,
Jesu, sol iustitiae,
Jesu, Fili Mariae Virginis,
Jesu amabilis,
Jesu admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, Pater futuri saeculi,
Jesu, magni consilii Angele,
Jesu potentissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu mitis et humilis corde,

Miserere nobis.

Jesu, amator castitatis,
Jesu, amator noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitae,
Jesu, exemplar virtutum,
Jesu, zelator animarum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refugium nostrum,
Jesu, pater pauperum,
Jesu, thesaurus fidelium,
Jesu, bone pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapientia aeterna,
Jesu, bonitas infinita,
Jesu, via et vita nostra,
Jesu, gaudium Angelorum,
Jesu, rex Patriarcharum,
Jesu, magister Apostolorum,
Jesu, doctor Evangelistarum,
Jesu, fortitudo Martyrum,
Jesu, lumen Confessorum,
Jesu, puritas Virginum,
Jesu, corona Sanctorum omnium,
Propitius esto, — parce nobis, Jesu.
Propitius esto, — exaudi nos, Jesu.
Ab omni malo, — libera nos, Jesu.
Ab omni peccato, — libera etc.
Ab ira tua, — libera etc.
Ab insidiis diaboli, — libera etc.
A spiritu fornicationis, — libera etc.
A morte perpetua, — libera etc.
A neglectu inspirationum tuarum, — lib. etc.

Miserere nobis.

Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per nativitatem tuam,
Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per crucem et derelictionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Agnus Dei, etc., — parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, etc., — exaudi nos, Jesu,
Agnus Dei, etc., — miserere nobis, Jesu.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.

Libera nos, Jesu.

Oremus. Domine Jesu Christe, qui dixisti: petite, et accipietis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis; quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore, et opere diligamus, et a tua numquam laude cessemus.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Qui vivis et regnas etc.

O bone Jesu, o piissime Jesu, o dulcissime Jesu, o Jesu, Fili Dei et Mariae Vir-

ginis, plene misericordia et pietate, o dulcis Jesu, secundum magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime Jesu, per pretiosum illum Sanguinem, quem pro peccatoribus effudisti, deprecor te, ut abluas omnes iniquitates meas, et in me miserum et indignum humiliter veniam petentem sanctumque nomen tuum invocantem respicias. O nomen Jesu, nomen delectabile! o nomen Jesu, nomen amabile! Quid est enim Jesus, nisi Salvator? Itaque propter nomen sanctum tuum, o mi Jesu, esto mihi Jesus et salva me. Ne permittas me damnari, quem pretioso Sanguine tuo redemisti. O bone Jesu, ne perdat me iniquitas mea, quem creavit bonitas tua omnipotens. O benignissime Jesu, miserere mei, dum tempus est miserendi; ne damnes me, dum tempus est iudicandi. O piissime Jesu, si me damnare velit tua severa iustitia, appello et confugio ad tuam piissimam misericordiam. O amantissime Jesu, o desideratissime Jesu, o mitissime Jesu, suscipe me in numerum electorum tuorum. O Jesu salus in te credentium! o Jesu fiducia ad te confugientium! o Jesu dulcedo te amantium! Fac, ut diligam te, tibique fideliter adhaeream, et post hanc miseriam feliciter ad te perveniam. Amen.

PSALMI VESPERARUM.

1. PSALMI VESPERARUM, QUI DICUNTUR DIEBUS DOMINICIS.

Pater noster. — Ave Maria.

V. Deus, in adiutorium meum intende,
R. Domine, ad adiuvandum me festina.
Gloria Patri et Filio et Spiritui etc.
Alleluia, vel pro temporis diversitate: Laus tibi, Domine, Rex aeternae gloriae.

Psalmus 109. Dixit Dominus Domino meo: * sede a dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus Sanctorum: * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non poenitebit eum: * Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dexteris tuis, * confregit in die irae suae reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri etc.

Ant. Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis.

Ant. Fidelia.

Psalmus 110. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: * in consilio iustorum, et congregatione.

Magna opera Domini: * exquisita in omnes voluntates eius.

Confessio et magnificentia opus eius: * et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: * escam dedit timentibus se.

Memor erit in saeculum testamenti sui: * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis hereditatem gentium: * opera manuum eius veritas, et iudicium.

Fidelia omnia mandata eius: confirmata in saeculum saeculi, * facta in veritate et aequitate.

Redemptionem misit populo suo: * mandavit in aeternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen eius: * initium sapientiae timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: * laudatio eius manet in saeculum saeculi.

Gloria Patri etc.

Ant. Fidelia omnia mandata eius, confirmata in saeculum saeculi.

Ant. In mandatis.

Psalmus III. Beatus vir, qui timet Dominum: * in mandatis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: * generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiae in domo eius: * et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis: * misericors, et miserator, et iustus.

Iucundus homo, qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in iudicio, * quia in aeternum non commovebitur.

In memoria aeterna erit iustus: * ab auditione mala non timebit.

Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius: * non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus; iustitia eius manet in saeculum saeculi, * cornu eius exaltabitur in gloria.

Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet: * desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri etc.

Ant. In mandatis eius cupit nimis.

Ant. Sit nomen Domini.

Psalmus 112. Laudate, pueri, Dominum: * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occasum, * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, * et super coelos gloria eius.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, * et humilia respicit in coelo et in terra?

Suscitans a terra inopem, * et de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, * matrem filiorum laetantem.

Gloria Patri etc.

Ant. Sit nomen Domini benedictum in saecula.

Ant. Nos, qui vivimus.

Psalmus 113. In exitu Israel de Aegypto, * domus Jacob de populo barbaro:

Facta est Judaea sanctificatio eius, * Israel potestas eius.

Mare vidit et fugit: * Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exsultaverunt ut arietes: et colles sicut agni ovium.

Quid est tibi mare, quod fugisti, * et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes exsultastis sicut arietes, * et colles sicut agni ovium.

A facie Domini mota est terra, * a facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum: * et rupem in fontes aquarum.

Non nobis, Domine, non nobis: * sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua, et veritate tua:

* nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?

Deus autem noster in coelo: * omnia quaecumque voluit fecit.

Simulacra gentium argentum, et aurum, opera manuum hominum,

Os habent, et non loquentur: * oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient: * nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt: * pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant, qui faciunt ea: * et omnes, qui confidunt in eis.

Domus Israel speravit in Domino: * adiutor eorum, et protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino: * adiutor eorum, et protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: * adiutor eorum, et protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri: * et benedixit nobis.

Benedixit domui Israel: * benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus, qui timent Dominum, * pusillis cum maioribus.

Adiiciat Dominus super vos: * super vos, et super filios vestros.

Benedicti vos a Domino: * qui fecit coelum, et terram.

Coelum coeli Domino: * terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te, Domine: * neque omnes, qui descendunt in infernum.

Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino: * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Gloria Patri etc.

Ant. Nos, qui vivimus, benedicimus Domino.

Canticum B. M. V. (Lucae I.)

Magnificat * anima mea Dominum:

Et exsultavit spiritus meus * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: * et sanctum nomen eius.

Et misericordia eius a progenie in progenies * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, * et exaltavit humiles,

Esurientes implevi bonis: * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: * recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham, et semini eius in saecula.

Gloria Patri etc.

PSALMI VESPERARUM, QUI DICUNTUR PRAECIPUIS ANNI FESTIS DIEBUS.

A. Diebus festis Domini N. J. Ch.

1. Festo Nativitatis D. N. J. Ch.

Ad I. Vesperas.

I. Psalmus (109). Dixit Dominus *vide pag. 153.*

II. Psalmus (110). Confitebor tibi *vide pag. 154.*

III. Psalmus (111). Beatus vir *vide pag. 154.*

IV. Psalmus (112). Laudate pueri *vide pag. 155.*

V. Psalmus (116). Laudate Dominum omnes gentes: * laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: * et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri etc.

Ad II. Vesperas.

I. Psalmus. Dixit Dominus *vide pag. 153.*

II. Psalmus. Confitebor tibi *vide pag. 154.*

III. Psalmus. Beatus vir *vide pag. 154.*

IV. Psalmus (129). De profundis clamavi ad te, Domine; * Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes * in vocem deprecationis meae,

Si iniquitatis observaveris, Domine * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitatio est: * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri etc.

V. Psalmus (131). Memento, Domine David, * et omnis mansuetudinis eius.

Sicut iuravit Domino, * votum vovit Deo Jacob.

Si introiero in tabernaculum domus meae, * si ascendero in lectum strati mei.

Si dedero somnum oculis meis, * et palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, * tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata: * invenimus eam in campis silvae.

Introibimus in tabernaculum eius: * adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.

Surge, Domine, in requiem tuam, * tu et arca sanctificationis tuae.

Sacerdotes tui induantur iustitiam; * et Sancti tui exsultent.

Propter David servum tuum, * non avertas faciem Christi tui.

Iuravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam: * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum, * et testimonia mea haec, quae docebo eos.

Et filii eorum usque in saeculum: * sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion, * elegit eam in habitationem sibi.

Haec requies mea in saeculum saeculi; * hic habitabo quoniam elegi eam.

Viduam eius benedicens benedicam: * pauperes eius saturabo panibus.

Sacerdotes eius induam salutari: * et Sancti eius exsultatione exsultabunt.

Illuc producam cornu David: * paravi lucernam Christo meo.

Inimicos eius induam confusione: * super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Gloria Patri etc.

2. Festo Circumcisionis D. N. J. Chr.

Ad I. et II. Vesp.

I. Psalmus. Dixit Dominus *vide pag. 153.*

II. Psalmus. Laudate pueri *vide pag. 155.*

III. Psalmus (121). Laetatus sum in

his, quae dicta sunt mihi: * in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, * in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem, quae aedificatur ut civitas: * cuius participatio eius in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: * testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in iudicio, * sedes super domum David.

Rogate, quae ad pacem sunt Jerusalem: * et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: * et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos et proximos meos, * loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri; * quaesivi bona tibi.

Gloria Patri etc.

IV. Psalmus (126). Nisi Dominus aedificaverit domum * in vanum laboraverunt qui aedificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, * frustra vigilat, qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: * surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum; * ecce hereditas Domini, filii: merces fructus ventris.

Sicut sagittae in manu potentis: * ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: * non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri etc.

V. Psalmus (147). Lauda Jerusalem Dominum: * lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum; * benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: * et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terrae; * velociter currit sermo eius.

Qui dat nivem sicut lanam: * nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suum sicut buccellas: * ante faciem frigoris eius quis sustinebit.

Emittet verbum suum et liquefaciet ea: * flabit spiritus eius, et fluent aquae.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: * iustitias et iudicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi; * et iudicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri etc.

3. Festo Epiphaniae Domini.

Ad I. Vesp. *omnes Psalmi dicuntur qui in I. Vesp. festi Nativit. D. N. J. Ch., vide pag. 159.*

Ad II. Vesp. *omnes Psalmi dicuntur Vesp. Dominicae vide pag. 153.*

4. Festo Paschatis.

Omnes Psalmi ex Vesperis Dominicae: vide pag. 153.

5. Festo Ascensionis D. N. J. Ch.

Omnes Psalmi I. Vesp. festi Nativitatis D. N. J. Ch.: vide pag. 159.

6. Festo Pentecostes.

Omnes Psalmi I. Vesp. festi Nativitatis D. N. J. Ch.: vide pag. 159.

7. In Solemnitate Corporis Christi.

I. Psalmus. Dixit Dominus *pag. 153.*

II. Psalmus. Confitebor tibi *pag. 154.*

III. Psalmus. (115). Credidi propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, * pro omnibus, quae retribuit mihi,

Calicem salutaris accipiam: * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: * pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

O Domine quia ego servus tuus: * ego servus tuus et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea. * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius: * in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri etc.

IV. Psalmus (127). Beati omnes, qui timent Dominum, * qui ambulant in viis eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis: * beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans * in lateribus domus tuae.

Filii tui sicut novellae olivarum, * in circuitu mensae tuae.

Ecce sic benedicetur homo, * qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: * et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitae tuae.

Et videas filios filiorum tuorum, * pacem super Israel.

Gloria Patri etc.

V. Psalmus (147). Lauda Jerusalem *vide pag. 163.*

B. Diebus festis Sanctorum.

1. Diebus festis B. M. V.

Omnes Psalmi Vesperarum festi Circumcisionis D. N. J. Ch., vide pag. 161.

2. Diebus festis SS. Apostolorum.

Ad I. Vesp. omnes Psalmi I. Vesp. festi Nativ. D. N. J. Ch. vide pag. 159.

Ad II. Vesp.:

I. Psalmus. Dixit Dominus *pag. 153.*

II. Psalmus. Laudate pueri *pag. 155.*

III. Psalmus. Credidi propter *pag. 164.*

IV. Psalmus (125). In convertendo Dominus captivitatem Sion: * facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: * et lingua nostra exsultatione.

Tunc dicent inter gentes: * magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum; * facti sumus laetantes.

Converte, Domine, captivitatem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui seminant in lacrymis, * in exsultatione metent.

Euntes ibant et flebant, * mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exsultatione, * portantes manipulos suos.

Gloria Patri etc.

V. Psalmus (138). Domine, probasti me cognovisti me; * tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longe: * semitam meam et funiculum meum investigasti.

Et omnes vias meas praevidisti, * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Domine, tu cognovisti omnia, no-

vissima et antiqua: * tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me: * confortata est, et non potero ad eam.

Quo ibo a spiritu tuo? * et quo a facie tua fugiam?

Si ascendero in coelum, tu illic es: * si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo, * et habitavero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me * et tenebit me dextera tua.

Et dixi, forsitan tenebrae conculcabunt me; * et nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur: * sicut tenebrae eius, ita et lumen eius.

Quia tu possedisti renes meos: * suscepisti me de utero matris meae.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: * mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.

Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto; * et substantia mea in inferioribus terrae.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, * et in libro tuo omnes scribentur: * dies formabuntur et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus; * nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur:* exsurrexi et adhuc sum tecum.

Si occideris, Deus, peccatores: * viri sanguinum declinate a me.

Quia dicitis in cogitatione; * accipient in vanitate civitates tuas.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, * et super inimicos tuos tabescebam.

Perfecto odio oderam illos; * et inimici facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum: * interroga me, et cognosce semitas meas.

Et vide, si via iniquitatis in me est; * et deduc me in via aeterna.

Gloria Patri etc.

3. Diebus festis SS. Martyrum.

Ad I. Vesp. *omnes Psalmi I. Vesp. festi Nativit. D. N. J. Ch. vide pag. 159.*

Ad II. Vesp. *primi quatuor Psal. I. Vesp. festi Nativ. D. N. J. Ch. pag. 159. et Psalmus ultimus* Credidi propter *pag. 164.*

4. Diebus festis SS. Pontificum.

Ad I. Vesp. *omnes Psalmi I. Vesp. festi Nativit. D. N. J. Ch. pag. 159.*

Ad II. Vesp. *primi quatuor Psalmi I. Vesp. festi Nativit. D. N. J. Ch. pag. 159. et Psalmus ultimus* Memento, Domine, David *pag. 160.*

5. Diebus festis SS. Confessorum.

Dicuntur omnes Psalmi I. Vesp. festi Nativit. D. N. J. Ch. pag. 159.

6. Diebus festis SS. Virginum, Mulierum et Viduarum.

Omnes Psalmi festi Circumcisionis D. N. J. Ch. pag. 161.

7. Festo omnium Sanctorum.

Ad I. Vesp. *Psalmi I. Vesp. festi Nativitatis D. N. J. Ch. vide pag. 159.*

Ad II. Vesp. *primi quatour Psalmi I. Vesp. festi Nativ. D. J. N. Ch. et Psalmus ultimus* Credidi propter quod *pag. 164.*

3. Festo Anniversario Dedicationis Ecclesiae.

Primi quatuor Psalmi I. Vesp. festi Nativ. D. N. J. Ch., ultimus Psalmus Lauda Jerusalem *vide pag. 163.*

NB. Post II. Vesperas festi Omnium Sanctorum dicuntur

Vesperae Commemorationis omnium fidelium defunctorum:

1. Psalmus (114). Dilexi, quoniam exaudiet Dominus * vocem orationis meae.

Quia inclinavit aurem suam mihi: * et in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me dolores mortis: * et pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem et dolorem inveni: * et nomen Domini invocavi.

O Domine, libera animam meam: * misericors Dominus, et iustus, et Deus noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus: * humiliatus sum et liberavit me.

Convertere anima mea in requiem tuam: * quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

Placebo Domino * in regione vivorum.

Requiem aeternam dona eis, Domine,
Et lux perpetua luceat eis.

II. Psalmus (119). Ad Dominum cum tribularer, clamavi: * et exaudivit me.

Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi * ad linguam dolosam?

Sagittae potentis acutae, * cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: * multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: * cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Requiem aeternam etc.

III. Psalmus (120). Levavi oculos meos in montes, * unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino: * qui fecit coelum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum: * neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet: * qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum: * ex hoc nunc et usque in saeculum.

Requiem aeternam etc.

IV. Psalmus (129). De profundis *vide supra pag. 159 in fine non dicitur* Gloria Patri . . . *sed* Requiem aeternam.

V. Psalmus (137). Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: * adorabo et templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo

Super misericordia tua et veritate tua: * quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me: * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terrae: * quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini: * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus et humilia respicit * et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: * et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: * Domine, misericordia tua in saeculum: opera manuum tuarum ne despicias.

Requiem aeternum etc.

COMPLETORIUM.

Lector incipit. *V.* Iube, domne, benedicere. Benedictio. Noctem quietam, et finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens.

R. Amen.

Lectio brevis. (I. Pet. 5.) Fratres! sobris estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret; cui resistite fortes in fide. Tu autem, Domine, miserere nobis.

R. Deo gratias.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini,

R. Qui fecit coelum et terram.

Pater noster dicitur totum secreto.

Deinde fit confessio communis alternatim, ut supra pag. 15 et *16*, *et facta absolutione dicitur:*

V. Converte nos, Deus, salutaris noster

R. Et averte iram tuam a nobis.

V. Deus, in adiutorium meum intende;
R. Domine, ad adiuvandum me festina.
Gloria Patri. Sicut erat.

Ant. Miserere.

Tempore paschali. Ant. Alleluia.

Psalmus 4. Cum invocarem, exaudivit me Deus iustitiae meae: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum usquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: * Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium iustitiae, et sperate in Domino; * multi dicunt: quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: * dedisti laetitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini et olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, et requiescam:

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe: * constituisti me.

Gloria Patri etc.

Psalmus 30. In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum: * in iustitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam, * accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, * ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu: * et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: * redemisti me, Domine, Deus veritatis.

Gloria Patri etc.

Psalmus 90. Qui habitat in adiutorio Altissimi, * in protectione Dei coeli commorabitur.

Dicet Domino: susceptor meus es tu, et refugium meum: * Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, * et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: * et sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius: * non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die: a negotio perambulante in tenebris: * ab incursu, et daemonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, et decem mil-

lia a dextris tuis, * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea: * altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem, et basiliscum ambulabis: * et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me et ego exaudiam eum: * cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: * et ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri etc.

Psalmus 133. Ecce, nunc benedicite Dominum, * omnes servi Domini:

Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta, * et benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion, * qui fecit coelum et terram.

Gloria Patri etc.

Ant. Miserere mihi, Domine, et exaudi orationem meam.

Tempore paschali. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Hymnus. 1. Te lucis ante terminum * Rerum Creator poscimus: * Ut pro tua clementia * Sis praesul, et custodia.

2. Procul recedant somnia, * Et noctium phantasmata, * Hostemque nostrum comprime, * Ne polluantur corpora.

3. Praesta, Pater piissime, * Patrique compar Unice * Cum Spiritu Paraclito * Regnans per omne saeculum. Amen.

Capitulum. Jer. 14. Tu autem in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos, Domine, Deus noster.

R. Deo gratias.

R. br. In manus tuas, Domine, * Commendo spiritum meum. In manus etc.

V. Redemisti nos, Domine, Deus veritatis. Commendo.... Gloria.... In manus....

V. Custodi nos, Domine ut pupillam oculi;

R. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

A Sabbato ante Dominicam Passionis in Officio de Tempore omittitur Gloria Patri etc.

Tempore paschali. R. br. In manus tuas Domine, commendo spiritum meum, * Alleluia, alleluia. In manus....

V. Redemisti nos, Deus veritatis. Alleluia, alleluia.

Gloria.... In manus....

V. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi, alleluia.

R. Sub umbra alarum tuarum protege nos, alleluia.

Ant. Salva nos.

Canticum Simeonis. *(Luc. 2.)* Nunc dimittis servum tuum, Domine, * secundum verbum tuum in pace:

Quia viderunt oculi mei * salutare tuum.

Quod parasti * ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium, * et gloriam plebis tuae Israel.

Gloria Patri etc.

Ant. Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace. *(Tempore paschali additur* Alleluia.)

Sequentes preces semper dicuntur, praeterquam in Officio duplici et infra Octavas; et quando dictae sunt in Vesp. dicuntur flexis genibus.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, secreto.

V. Et ne nos inducas in tentationem,

R. Sed libera nos a malo.

Credo in Deum *(vide pag. 2.)* secreto.

V. Carnis resurrectionem,

R. Vitam aeternam. Amen.

V. Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum,

R. Et laudabilis et gloriosus in saecula.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu,

R. Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.

V. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli,

R. Et laudabilis et gloriosus, et superexaltatus in saecula.

V. Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus,

R. Amen.

V. Dignare, Domine, nocte ista,

R. Sine peccato nos custodire.

V. Miserere nostri, Domine,

R. Miserere nostri.

V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos,

R. Quemadmodum speravimus in te.

V. Domine, exaudi orationem meam,

R, Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum,

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant; et benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum etc.

V. Dominus vobiscum, *R.* Et cum spiritu tuo.

V. Benedicamus Domino, *R.* Deo gratias.

Benedictio. Benedicat et custodiat nos omnipotens, et misericors Dominus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. *R.* Amen.

Et non dicitur Fidelium animae, *sed immediate dicitur una ex infrascriptis Ant. pro tempore.*

A Vesperis Sabbati ante Dominicam 1. Adv., usque ad Purificationem inclusive, Antiphona.

Alma Redemptoris Mater, quae pervia coeli.
Porta manes, et stella maris, succurre cadenti,
Surgere qui curat, populo; tu quae genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum genitorem:
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore,
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

In Adv. V. Angelus Domini nuntiavit Mariae,

R. Et concepit de Spiritu sancto.

Oremus. Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde: ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

A I. Vesperis Nativitatis, et deinceps:
V. Post patrum, Virgo, inviolata permansisti,
R. Dei genitrix, intercede pro nobis.
Oremus. Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate foecunda, humano generi praemia praestitisti: tribue quaesumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. *R.* Amen.

Post Purific. id est, a fine Complet. illius diei 2. Februarii inclusive, usque ad Feriam V. in Coena Domini exclusive. Ant.
Ave, Regina coelorum,
Ave, Domina Angelorum,
Salve radix: salve porta,
Ex qua mundo lux est orta,
Gaude, Virgo gloriosa,
Super omnes speciosa,
Vale, o valde decora,
Et pro nobis Christum exora.
V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata,
R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.
Oremus. Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium: ut qui sanctae Dei genitricis memoriam agimus, intercessionis eius auxilio, a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

A Completorio Sabbati sancti usque ad Nonam Sabbati post Pent. inclusive. Ant.

Regina coeli laetare, alleluia,
Quia quem meruisti portare, alleluia.
Resurrexit sicut dixit, alleluia.
Ora pro nobis Deum, alleluia.

V. Gaude et laetare virgo Maria, alleluia,
R. Quia surrexit Dominus vere, alleluia.

Oremus. Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es: praesta quaesumus, ut per eius genitricem virginem Mariam, perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

A Vesperis festi SS. Trinitatis usque ad Nonam Sabbati ante Adv. Ant.

Salve regina, mater misericordiae, vita dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus exules, filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.

V. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae virginis matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, praeparasti: da, ut cuius com-

memoratione laetamur, eius pia intercessione ab instantibus malis, et a morte perpetua liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. *R.* Amen.

Deinde dicitur secreto. Pater noster. Ave Maria *et* Credo.

Sic dicitur Completorium per totum annum, praeterquam triduo maioris hebdomadae et per oct. Paschae.

HYMNUS SS. AMBROSII ET AUGUSTINI.

Te Deum laudamus, * te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem * omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, * tibi coeli, et universae potestates:

Tibi Cherubim et Seraphim * incessabili voce proclamant:

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra * maiestatis gloriae tuae.

Te gloriosus * Apostolorum chorus,

Te Prophetarum * laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus * laudat exercitus.

Te per orbem terrarum * sancta confitetur Ecclesia,

Patrem * immensae maiestatis,
Venerandum tuum verum * et unicum Filium,
Sanctum quoque * Paraclitum Spiritum.
Tu rex gloriae, Christe.
Tu Patris * sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum | suscepturus hominem, * non horruisti | Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo, * aperuisti credentibus | regna coelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes, * in gloria Patris.
Judex crederis * esse venturus.
Te ergo quaesumus | tuis famulis subveni, * quos pretioso | sanguine redemisti.
Aeterna fac cum Sanctis tuis * in gloria numerari
Salvum fac populum tuum, Domine; * et benedic | haereditati tuae.
Et rege eos: * et extolle illos usque in aeternum.
Per singulos dies * benedicimus te.
Et laudamus | nomen tuum in saeculum, * et in saeculum saeculi.
Dignare, Domine, | die isto * sine peccato nos | custodire.
Miserere nostri, Domine: * miserere nostri.
Fiat misericordia tua, | Domine, super nos: * quemadmodum | speravimus in te.
In te, Domine, speravi: * non confundar in aeternum.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu,

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

V. Benedictus es, Domine, Deus in firmamento coeli,

R. Et laudabilis et gloriosus | et superexaltatus in saecula.

V. Domine, exaudi orationem meam,

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

SYMBOLUM S. ATHANASII.

Quicumque vult salvus esse, * ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, * absque dubio in aeternum peribit.

Fides autem catholica haec est, * ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas, * neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, * alia Spiritus sancti.

Sed Patris, et Filii, et Spiritus sancti una est divinitas, * aequalis gloria, coaeterna maiestas.

Qualis Pater, talis Filius, * talis Spiritus sanctus,

Increatus Pater, increatus Filius, * increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, * immensus Spiritus sanctus.

Aeternus Pater, aeternus Filius, * aeternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres aeterni; * sed unus aeternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi * sed unus increatus, et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, * omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes; * sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, * Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dii; * sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, * Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini: * sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri, Christiana veritate compellimur; * ita tres

Deos aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.

Pater a nullo est factus, * nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est, * non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus a Patre et Filio; * non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii; * unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, * sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.

Ita ut per omnia, sicut iam supra dictum est, * et unitas in Trinitate et Trinitas in unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad aeternam salutem, * ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, * quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est.

Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus: * et homo est ex substantia matris in saeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo; * ex anima rationali et humana carne subsistens.

Aequalis Patri secundum divinitatem; * minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit, et homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem; * sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiae; * sed unitate personae.

Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo; * ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, * tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; * inde venturus est iudicare vivos et mortuos.

Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, * et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; * qui vero mala, in ignem aeternum.

Haec est fides catholica: * quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria Patri, et Filio etc.

PROFESSIO FIDEI TRIDENTINA.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Sym-

bolo, quo sancta Romana ecclesia utitur: videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in coelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et

amplector. Item sacram Scripturam iuxta sensum eum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo, Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria: scilicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium: illaque gratiam conferre: et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacro sancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus,

et totius substantiae vini in Sanguinem: quam conversionem ecclesia catholica transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi. Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse; atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco: Romanoque Pontifici, beati Petri, Apostolorum principis, successori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacro sancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio ac profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathemati-

zatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram, et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime (Deo adiuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

DEVOTIO ERGA BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM.

OFFICIUM DE IMMACULATA CONCEPTIONE B. M. V.

Ad Matutinum.

Eia mea labia nunc annuntiate,
Laudes et praeconia Virginis beatae.

V. Domina, in adiutorium meum intende,
R. Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri, etc. Alleluia. A Septuag. usque ad Pascha loco Alleluia dicitur Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

Hymnus. 1. Salve mundi Domina, * Coelorum Regina: * Salve Virgo virginum, * Stella matutina.

2. Salve plena gratia, * Clara luce divina: * Mundi in auxilium, * Domina, festina.

3. Ab aeterno Dominus * Te praeordinavit * Matrem unigeniti * Verbi quo creavit.

4. Terram, pontum, aethera: * Te pulchram ornavit * Sibi sponsam, quae in * Adam non peccavit.

V. Elegit eam Deus, et praeelegit eam,

R. In tabernaculo suo habitare facit eam,

V. Domina, exaudi orationem meam,

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Sancta Maria, regina coelorum, mater Domini nostri Jesu Christi, et mundi domina, quae nullum derelinquis, et nullum despicis; respice me, domina, clementer oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum: ut, qui nunc tuam sanctam et immaculatam conceptionem devoto affectu recolo, aeternae in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem Virgo peperisti, donante, Domino nostro, Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, in Trinitate perfecta, Deus in saecula saeculorum. Amen.

V. Domina, exaudi orat. etc.

R. Et clamor meus etc,

V. Benedicamus Domino,

R. Deo gratias.

V. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.
R. Amen.

AD PRIMAM.

V. Domina, in adiutorium meum intende,
R. Me de manu hostium potenter defende.
V. Gloria Patri... Alleluia.

Hymnus. 1. Salve Virgo sapiens, * Domus Deo dicata: * Columna septemplici * Mensaque exornata.

2. Ab omni contagio * Mundi praeservata: * Ante sancta in utero * Parentis, quam nata.

3. Tu mater viventium, * Et porta es Sanctorum: * Nova stella Iacob, * Domina Angelorum.

4. Zabulo terribilis, * Acies castrorum: * Portus et refugium * Sis Christianorum. Amen.

V. Ipse creavit illam in Spiritu sancto,
R. Et effudit illam inter omnia opera sua.
V. Domina, exaudi etc. *cum Oratione ut supra pag. 192.*

AD TERTIAM.

V. Domina, in adiutorium meum intende etc. *ut supra.*

Hymnus. 1. Salve arca foederis, * Thronus Salomonis: * Arcus pulcher aetheris, * Rubus visionis;

2. Virga frondens germinis, * Vellus

Gedeonis: * Porta clausa numinis, * Favusque Samsonis.

3. Decebat tam nobilem * Natum praecavere * Ab originali * Labe matris Evae:

4. Almam, quam elegerat, * Genitricem vere, * Nulli prorsus sinens * Culpae subiacere. Amen.

V. Ego in altissimis habito,

R. Et thronus meus in columna nubis,

V. Domina exaudi etc. *cum Oratione ut supra pag. 192.*

AD SEXTAM.

V. Domina, in adiutorium meum intende etc. *ut supra pag. 193.*

Hymnus. 1. Salve, Virgo puerpera, * Templum Trinitatis: * Angelorum gaudium, * Cella puritatis:

2. Solamen moerentium, * Hortus voluptatis: * Palma patientiae, * Cedrus castitatis:

3. Terra es benedicta, * Et sacerdotalis, * Sancta et immunis * Culpae originalis:

4. Civitas altissimi, * Porta orientalis, * In te est omnis gratia, * Virgo singularis. Amen.

V. Sicut lilium inter spinas,

R. Sic amica mea inter filias Adae.

V. Domina, exaudi orat. etc. *cum Oratione ut supra pag. 192.*

AD NONAM.

V. Domina, in adiutorium etc. *ut supra pag. 193.*

Hymnus. 1. Salve urbs refugii, * Turrisque munita * David propugnaculis, * Armisque insignita.

2. In conceptione * Charitate ignita, * Draconis potestas * Est a te contrita.

3. O mulier fortis, * Et invicta Iudith! * Pulchra Abisag virgo, * Verum fovens David!

4. Rachel curatorem * Aegypti gestavit: * Salvatorem mundi * Maria portavit. Amen.

V. Tota pulchra es, amica mea,

R. Et macula originalis nunquam fuit in te.

V. Domina, exaudi orat. etc. *cum Oratione ut supra pag. 192.*

AD VESPERAS.

V. Domina, in adiutorium meum intende etc. *ut supra pag. 193.*

Hymnus. 1. Salve horologium, * Quo retrogradiatur * Sol in decem lineis; * Verbum incarnatur.

2. Homo ut ab inferis * Ad summa attollatur, * Immensus ab Angelis * Paulo minoratur.

3. Solis huius radiis * Maria coruscat; * Consurgens aurora * In conspectu micat.

4. Lilium inter spinas, * Quae serpen-

tis conterat * Caput, pulchra ut luna * Errantes collustrat. Amen.

V. Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens,

R. Et quasi nebula texi omnem terram.

V. Domina, exaudi orat. etc. *cum Oratione ut supra pag. 192.*

AD COMPLETORIUM.

V. Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus Jesus Christus Filius tuus,

R. Et avertat iram suam a nobis.

V. Domina, in adiutorium meum intende,

R. Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri, et Filio etc. Alleluia.

Hymnus. 1. Salve, Virgo florens, * Mater illibata, * Regina clementiae, * Stellis coronata;

2. Supra omnes Angelos * Pura, immaculata, * Atque ad Regis dexteram * Stans veste deaurata.

3. Per te, Mater, gratiae, * Dulcis spes reorum, * Fulgens stella maris, * Portus naufragorum.

4. Patens coeli ianua, * Salus infirmorum: * Videamus regem * in aula Sanctorum. Amen.

V. Oleum effusum, Maria, nomen tuum.

R. Servi tui dilexerunt te nimis.

V. Domina, exaudi orat. etc. *cum Oratione ut supra pag. 192.*

Commendatio. Supplices offerimus * Tibi, Virgo pia, * Haec laudum praeconia: * Fac nos ut in via * Ducas cursu prospero, * Et in agonia * Tu nobis assiste, * O dulcis Maria. Amen.

R. Deo gratias.

Haec est virgo, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit.

V. In conceptione tua, Virgo Maria, immaculata fuisti.

R. Ora pro nobis Patrem, cuius Filium Jesum de Spiritu sancto conceptum peperisti.

Oremus. Deus, qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti; quaesumus, ut qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas. Per eumdem Dominum etc.

Litaniae Lauretanae.

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison.
Christe, audi nos. — Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, — miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, — miserere nobis.

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum iustitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Ianua coeli,
Stella matutina,

Ora pro nobis.

Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,
Opra pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — miserere nobis.
Christe, audi nos. — Christe, exaudi nos.
Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave Maria.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, et benedicta, domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

V. Ora pro nobis sancta Dei, Genitrix

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde: ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

V. Ora pro nobis, beatissime Joseph,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Sanctissime Genitricis tuae sponsi, quaesumus Domine, meritis adiuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

DE MODO RECITANDI ROSARIUM B. M. V.

Ad crucem semper dicitur Credo, *ad maiora grana* Pater noster, *ad minora* Ave Maria.

Ad tria minora grana, quae in rosario ponuntur ante quinque decades, ter dicitur Ave Maria etc. *ad gratias agendas SS. Trinitati, et quidem* Patri, *quod B. M. V. in* Filiam, Filio, *quod ipsam in* Matrem, Spiritui sancto, *quod ipsam in* Sponsam, *sibi elegerit.*

In Rosario gaudioso

ad tria minora grana petitiones hae inseruntur:

In 1. post verbum Jesus *additur:* qui adaugeat in nobis fidem. Sancta Maria etc.

In 2.: qui corroboret in nobis spem.

In 3.: qui perficiat in nobis caritatem.

Ad singula minora grana quinque decadum expende totidem mysteria, inserendo post nomen Jesus sequentia verba:

In 1. decade: quem Virgo concepisti.

In 2.: quem visitando Elisabeth portasti.

In 3.: quem Virgo genuisti.

In 4.: quem in templo praesentasti.

In 5.: quem in templo invenisti.

In Rosario doloroso

ad tria minora grana petitiones has insere:

In 1.: qui intellectum nostrum illuminet.

In 2.: qui voluntatem nostram perficiat.

In 3.: qui memoriam nostram roboret.

Ad singula minora grana quinque decadum expende totidem mysteria, inserendo sequentia verba:

In 1. decade: qui pro nobis sanguinem sudavit.

In 2.: qui pro nobis flagellatus est.

In 3.: qui pro nobis spinis coronatus est.

In 4.: qui pro nobis crucem baiulavit.

In 5.: qui pro nobis crucifixus est.

In Rosario glorioso

ad tria minora grana petitiones has insere:

In 1.: qui cogitationes dirigat.
In 2.: qui verba moderetur.
In 3.: qui gubernet opera.

Ad singula minora grana quinque decadum expende totidem mysteria, inserendo sequentia verba:

In 1. decade: qui resurrexit a mortuis.
In 2.: qui in coelum ascendit.
In 3.: qui Spiritum sanctum misit.
In 4.: qui te in coelum assumpsit.
In 5.: qui te in coelis coronavit.

Absoluta una decade, his verbis te ad piam gratulationem excitare poteris.

Post 1. decadem. Decies millies cum Filio tuo benedicant te, Virgo Maria, omnes SS. Angeli, cum quibus spero te aliquando videre et colere in coelo, Amen.

Post 2. Vicies millies cum Filio tuo benedicant te, Virgo Maria, omnes Sancti veteris Testamenti, cum quibus spero etc.

Post 3. Tricies millies cum Filio tuo benedicant te, Virgo Maria, omnes sancti Apostoli, Evangelistae, Discipuli Domini, et Martyres, cum quibus spero etc.

Post 4. Quadragies millies cum Filio tuo benedicant te, Virgo Maria, omnes sancti Confessores, Episcopi, Doctores, Monachi et Eremitae, cum quibus etc.

Post 5. Quinquagies millies cum Filio tuo benedicant te, Virgo Maria, omnes

sanctae Virgines et Viduae, cum quibus etc.

ORATIONES VARIAE AD B. M. V.

Oratio, qua B. M. V. eligitur patrona.

Sanctissima Virgo, Mater Dei Maria, ego N. licet undecumque qui recipiar in numerum tuorum servorum indignissimus, fretus tamen tua pietate admirabili et impulsus tibi serviendi desiderio, eligo te hodie coram castissimo sponso tuo Josepho et Angelo meo Custode universaque curia coelesti meam peculiarem Dominam, Patronam et Matrem, firmiterque propono, te in posterum sequi, tibi famulari atque curare, ut ab aliis quoque tibi servitium exhibeatur. A te igitur, mater clementissima, per pretiosissimum, quem pro me Jesus Christus, Filius tuus, fudit sanguinem, peto suppliciter, ut me in numerum filiorum tuorum admittere digneris et mihi a Deo gratiam impetres, ut in cunctis meis cogitationibus, verbis et operibus talem me exhibeam, qualem tu vis, ut nihil unquam in me neque Dei neque tuis displiceat oculis, sisque nemor mei in hora mortis meae. Amen.

Oratio pro impetranda perseverantia in cultu B. M. V.

Deus, qui nos sub alis sanctissimae Matris Filii tui constitutos ad bravium

supernae vocationis accendis; pectoribus nostris purificandis illabere et gratiam nobis, qua in tuo et eiusdem sacratissimae Virginis Mariae servitio perseveremus, infunde, ut protectionis tantae muniti praesidiis, quod te, Domine, donante promisimus, impleamus, et nostri propositi exsecutores effecti ad ea, quae perseverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus. Per eumdem Dominum nostrum etc.

Oratio

(aereae laminae inscripta in parte aversa imaginis Mariae Dominae nostrae in Basilica Liberiana).

(Indulg. 300 dier. Pius IX. 24. Sept. 1846.)

Ave, augustissima Regina pacis, sanctissima Mater Dei, per sacratissimum Cor Jesu Filii tui, Principis pacis, fac ut quiescat ira ipsius et regnet super nos in pace. Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo quemquam tua petentem suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te venio. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

Memorare.

(Indulg. 300 dier. Pius IX. 11. Dec. 1846.)

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, a te esse de-

relictum. Ego tali animatus confidentia, ad te, Virgo Virginum, Mater, curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto; noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

Oratio ad conservandam animae puritatem.

(Indulg. 100 dier. Pius IX. 5. Aug. 1851.)

O Domina mea! o Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me ut rem et possessionem tuam.

Aspiratio in quavis tentatione. O Domina mea, o Mater mea! memento me esse tuum. Serva me, defende me ut rem ac possessionem tuam.

Oratio s. Augustini.

O beata Maria, quis tibi digne valeat gratiarum ac laudum praeconia impendere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, re-

porta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es spes unica peccatorum; per te speramus veniam delictorum, et in te, beatissima, nostrorum est exspectatio praemiorum. Sancta Maria, succurre miseris, iuva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu. Sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tuam (sanctam) commemorationem. Assiste parata votis poscentium et repende omnibus optatum effectum. Sit tibi studium assidue orare pro populo Dei, quae meruisti benedicta pretium ferre mundi, illum, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Oratio s. Bernardi.

Mentem et oculos pariter cum manibus ad te, Regina mundi, attollimus et coram tuae celsitudinis gloria genu flectimus, cervicem inclinamus ac plenis suspiriis ad te preces in coelum transmittimus. Tu altitudo coeli, beatos oculos, quibus incomprehensibilem gloriam illam lucis aeternae cum desiderio semper intueris, ad tuos supplices in hanc mundi miseriam proiectos, de alto inclinare non despicias. Et ecce coram tremendo Iudice peccatores

assistimus, cuius manus terribilis gladium irae suae vibrat super nos. Et quis avertet eam? Nemo, Domina, tam idoneus, ut gladio Domini manum pro nobis obiiciat, ut tu, Dei amantissima, per quam primum in terris suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri. Aperi itaque tu, Mater misericordiae, benignissimi cordis tui ianuam suspiriosis precatibus filiorum Adam. Ex omnibus finibus terrae ad tuae protectionis umbraculum confugimus a facie formidinis Dei. Ad te, Domina mea, stillant oculi nostri; te devotionis clamore valido obsecramus, ut Filii tui, Domini nostri iram, quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges; eiusque gratiam, a qua ingrati excidimus, nobis tua conciliet; cuius livore sanati sumus, eius iterum medelam deposcimus; quia putruerunt et corruptae sunt cicatrices nostrae, et non est in nobis sanitas. Attende, Domina, et vide dolores vulnerum animarum nostrarum, quia tibi revelamus causam nostram cum fiducia. Te enim inaestimabilis benignitatis feminam et venerandam matrem esse cognoscimus ex eo, quod tu mundum hunc immundum et lubricum impolluto calle transisti; et adhuc inter peccatores degens tanta ante Deum sanctitate foecundabaris, ut sola solio Regis aeterni immediate approximare merueris.

Oratio altera s. Bernardi.

Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas Deo grata nostrae veniam impetret vanitati. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et foecunditas gloriosa foecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio repraesenta. Fac, o benedicta, per gratiam, quam invenisti, per praerogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes faciat nos gloriae et beatitudinis suae, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

Septem orationes

quae ad innovandam devotionem erga B. M. V. vel simul recitari vel in singulos hebdomadae dies distribui possunt.

1. Ave Maria, coeli terraeque regina, quae a Deo mater es electa ante omnia saecula. Tu es illa beata mulier, de qua Dominus noster Jesus Christus, ut genus

humanum redimeret, carnem voluit assumere. Per te coelum terrae iungitur, et summa imis cumulantur. Tu es dux vitae nostrae; tu porta divinae gratiae, tu es securus huius procellosi mundi portus; tu laetitia coeli, tu exsultatio terrae, tu peccatorum tutissimum asylum, tu certissimum praesidium omnium te invocantium. Ego tali animatus fiducia, ad te venio; o misericordiae mater, ne averseris me miserum, qui misericordia tua fretus de miserorum numero in filiorum tuorum sortem transire cupio. Fateor quidem me saepe, ac graviter dilectissimum Filium tuum peccatis meis offendisse, atque idcirco ipsius et tua gratia indignum esse; sed ex intimo corde nunc doleo, quod summum illud bonum, Dominum, ac Redemptorem meum Jesum Christum, quem super omnia amo, unquam offenderim, et coram te, eiusdem dilectissima matre, emendationem, et satisfactionem polliceor. Obsecro itaque te, Domina, ut mihi veniam peccatorum meorum gratiamque impetres; tuae enim est pietatis, Virgo benedicta, ipsam, quam apud Deum invenisti gratiam, notam facere mundo. Amen.

2. Ave Maria, domina post Deum potentissima, Redemptoris nostri genitrix admiranda, quem virginitate materna, et maternitate virginali, mirabiliter peperisti, tota obstupescente natura. Ave sacra-

rium Spiritus sancti. Ave virgo gloriosa, quae tanquam aurora coruscans es pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis daemonibus, et tanquam acies castrorum bene ordinata, Angelorum hominumque laudibus dignissima, Sanctos omnes supergrediens. Ave post Deum unigenitum Filium tuum, et iustitiae solem potens auxiliatrix mortalium, certa spes, et firmum solamen miserorum, humani generis gloria, ornamentum totius universitatis; omnia saecula, omnes generationes tibi benedicant. Omnes, o Domina, ad te confugimus, tuam imploramus opem, o benignissima mater, oculos misericordiae tuae ad nos miseros in hac lacrymarum valle converte. Monstra, o mater, dilectissimo filio tuo ubera, quibus eum nutrivisti; ostende brachia, quibus eum amplexata es; enumera omnes labores et dolores, quos pro eo sustinuisti; tuum illi cor totum amoris igne flagrans exhibe; ut his commotus nostri misereatur, omnibusque malis, quibus undique circumdamur, incolumes eripiat. Amen.

3. Ave Maria, laetitia coeli, et exsultatio terrae. Tu es illa serenissima luminis mater, quae animas omnium te amantium illuminas. Tu es illa dulcissima pietatis mater, quae fideles tuos famulos ad gloriosa coeli feliciter perducis habitacula. Tu es illa columba formosa, quae iuxta

aquarum fluenta sedes, cuius vestimenta incredibilem spirant odoris suavitatem. Ad te faciem meam levo, coeli regina; ad te oculi cordis mei suspiciunt, in te confidit anima mea. Tu es arx fortissima, in qua securi sunt omnes ad te confugientes. Tu es fidelissima propugnatrix omnium te laudantium. Tu es illa clavis, quae portas paradisi reserat; laudo et glorifico te, virgo gloriosa, colo et veneror humillime intemerata illa et intacta tua viscera. Concede mihi, obsecro, ut tribulationibus et miseriis huius vitae pressus in maternae pietatis tuae sinu locum inveniam; fac ut sim in numero eorum, quos tu amas, et in tuo castissimo pectore adscriptos habes, quos tu doces, dirigis, defendis in omni necessitate. Amen.

4. Ave Maria, aeterne Regis mater, millies felix et beata; tu post unigenitum Filium tuum omnibus rebus dominaris. Tibi omnes aetates et generationes caput inclinant; tuis pedibus se terrarum substernit ambitus. Post ineffabilem enim et summam Trinitatem nil dignius te, nil pulchrius habet coeleste palatium. Tu mater, tu filia, tu sponsa es Dei altissimi. Tota pulchra, tota formosa es; ad tuum nomen daemones contremiscunt; cum splendor tuus se prodit, tenebrae diffugiunt, portaeque coeli ad nutum tuum aperiuntur; tu es vera spes Christianorum post

Jesum Christum Filium tuum. Tu es Regina misericordiae, tu vitae nostrae dulcedo. Omnes ad te clamant, et tu respondes omnibus, intercedis pro omnibus. Auxilium tuum ne auferas a me; pietas tua non desit mihi, nec memoria tui in me unquam moriatur; si tu me, Domina derelinquas, quis me suscipiet? si tu obliviscaris mei, quis mei recordabitur? si tu, o stella maris et peccatorum dux me non illumines, quo tandem vadam? quid de me fiet, si a te excludar? Audi ergo, o mater, audi miserum ad te clamantem: recordare obsecro, quod propter nos peccatores Dei Filius te matrem elegerit. Idcirco ad te confugio, ut per te, o mater mea, misericordiam inveniam apud Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis, Filium tuum Dominum ac Redemptorem nostrum et Spiritum sanctum. Amen.

5. Ave Maria, ave inter Sanctos post Deum sanctissima et potentissima domina. O mater! o virgo! quibus te laudibus efferam, nescio, omnia gloriosa sunt in te. Beatam merito te dicunt omnes generationes, Dei genitrix, domina mundi, regina coeli, quae omnibus generationibus vitam et gloriam genuisti. In te Angeli laetitiam, iusti gloriam, peccatores veniam inveniunt. Merito in te respiciunt oculi totius creaturae, quia per te, in te, et de te benigna manus omnipotentis quidquid

creavit, recreavit. Tu vere urbs refugii, portus naufragantium, et solatium omnium in te sperantium; tu ornamentum es totius universitatis. Tu domina es, nos servi tui; tu regina, nos clientes tui; tu spes universae terrae es. Ad tui memoriam recreantur, et hilarescunt fideles animae; tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri, multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Tu mater es pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. Tu (velut Esther Assuerum) Deum Patrem placasti, et invenisti gratiam in oculis eius. Tu (velut Judith Holofernem) diabolum superasti. O Maria! deest mihi vox et spiritus, quo te condigne laudem. Vos ergo, o sancti Angeli et electi Dei, Mariae laudes pro me in aeternum decantate. O quando illud tempus veniet, quo et mihi vobiscum licebit Dei et Mariae laudes sine fine in coelesti gloria praedicare! Hoc tuis imprimis, o potentissima domina, vestrisque, o SS. Angeli et electi Dei, precibus mihi, oro, apud Deum impetrate. Amen.

6. Ave Maria, sole clarior, luna pulchrior, ave splendidissima stella, de qua natus est sol iustitiae, Christus Deus noster. Tu es virgo super omnem pulchritudinem formosa; tu mater super omnem honestatem gratiosa, quae benignissimis

oculis sanctam Filii tui ecclesiam, quacumque in mundi parte illa est, intueris. Dulce tuum nomen reficit laborantes; serena lux tua illuminat caecos; suavis odor virtutum tuarum exhilarat iustos, et benedictus fructus ventris tui Jesus beatos exsatiat. Tu post Deum prima laudem omnium hominum, et Angelorum mereris; Dominus te creavit Virginem sine macula; Dominus te amavit super omnes creaturas. Tu generis humani gloria, tu super omnes choros Angelorum es exaltata; tu pulchritudo et ornamentum es totius universi. Ne avertas faciem a me peccatore; quis enim unquam te invocavit, quin sit exauditus? quis a te quidquam petivit, quod non impetravit? quis unquam servivit tibi, quem non liberaliter et magnifice remunerasti? Sileat misericordiam tuam, virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis meminerit defuisse. Obsecro itaque, o potentissima domina, impetra mihi a Filio tuo veram cordis contritionem, et fac, ut spretis omnibus blanditiis, et cupiditatibus, in Christo Jesu, teque benedicta eius matre, omnis mea sit voluptas. Amen.

7. Ave Maria, mater misericordiae, ave reparatrix gratiae, et veniae; quis te non amet? quis te non honoret? quis se tibi non commendet? Tu es lux nostra in rebus dubiis, in moestis consolatio, in an-

gustiis recreatio, in periculis et tentationibus fidele auxilium. Tu es post unigenitum Filium tuum certa salus, et spes nostra. Beati, qui te amant, et per sanctitatem vitae familiares tibi fiunt, et devoti famuli. Beati, quos tu singulariter tibi commendatos habes. O piissima Mater, suscipe me clientulum tuum. In benedictas manus tuas, et in sinum misericordiae tuae animam et corpus meum, cum filiali fiducia nunc et in hora mortis meae commendo; rege, doce, dirige, et defende me in omnibus secundum tuam voluntatem. Respice, o domina, ad servi tui licet indignissimi preces, respice ad omnes necessitates meas. Ad te ego velut unicum asylum meum confugio, sub pallio maternae protectionis tuae absconde me. Noli me a te, mater misericordiae repellere; nam sine te vivere non potest anima mea. Amen.

VERSICULI ET ORATIONES PRO SINGULIS FESTIS B. M. V.

1. Pro festo immaculatae Conceptionis B. M. V.

V. Immaculata conceptio est hodie sanctae Mariae Virginis,

R. Quae serpentis caput virgineo pede contrivit.

Oremus. Deus, qui etc. *pag. 197.*

2. Pro festo Desponsationis B. M. V.

V. Desponsatio est hodie sanctae Mariae Virginis,

R. Cuius vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.

Oremus. Famulis tuis, quaesumus Domine, coelestis gratiae munus impertire, ut quibus beatae Virginis partus extitit salutis exordium, Desponsationis eius votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum nostrum etc.

3. Pro festo Purificationis B. M. V.

V. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto,

R. Non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, maiestatem tuam supplices exoramus, ut sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostrae carnis substantia in templo est praesentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus praesentari. Per eumdem etc.

4. Pro festo Annuntiationis B. M. V.

V. Ave Maria gratia plena,

R. Dominus tecum.

Oremus. Deus, qui de beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante carnem suscipere voluisti; praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuvemur. Per eumdem etc.

5. Pro festo septem dolorum B. M. V.

(Feria VI. post Dom. Passionis).

V. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima!
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Deus, in cuius passione secundum Simeonis prophetiam dulcissimam animam gloriosae Virginis et Matris Mariae doloris gladius pertransivit concede propitius, ut qui transfixionem eius et passionem venerando recolimus, gloriosis meritis et precibus omnium Sanctorum cruci fideliter astantium intercedentibus passionis tuae effectum felicem consequamur. Qui vivis etc.

6. Pro festo B. M. V. quod sub titulo „Auxilium Christianorum“ celebratur.

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata!
R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus. Omnipotens et misericors Deus, qui ad defensionem populi Christiani in beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constituisti; concede propitius, ut tali praesidio muniti certantes in vita, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum nostrum etc.

7. Pro festo Visitationis B. M. V.

V. Benedicta tu in mulieribus,
R. Et benedictus fructus ventris tui.

Oremus. Famulis tuis etc. *ut supra pag. 216 sed loco* „Desponsationis“ *dicitur* „Visitationis.“

3. Pro festo B. M. V. de monte Carmelo.

V. Dignare etc.
R. Da mihi etc. } *ut supra pag. 217.*

Oremus. Deus, qui beatissimae semper Virginis et Genetricis tuae Mariae singugulari titulo Carmeli ordinem decorasti, concede propitius, ut cuius hodie commemorationem solemni celebramus officio, eius muniti praesidiis ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis etc.

9. Pro festo s. Mariae ad Nives.

V. Dignare etc.
R. Da mihi etc. } *ut supra pag. 217.*

Oremus. Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Dominum etc.

10. Pro festo Assumptionis B. M. V.

V. Exaltata est sancta Dei Genitrix,
R. Super choros Angelorum ad coelestia regna.

Oremus. Famulorum tuorum quaesumus Domine delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit etc.

11. Pro festo purissimi Cordis B. M. V.

V. Viam mandatorum tuorum cucurri,
R. Cum dilatasti cor meum.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui in corde beatae Mariae Virginis dignum Spiritus sancti habitaculum praeparasti; concede propitius, ut eiusdem purissimi cordis festivitatem devota mente recolentes, secundum cor tuum vivere valeamus. Per Dominum .... eiusdem Spiritus ....

12. Pro festo Nativitatis B. M. V.

V. Nativitas est hodie sanctae Mariae Virginis,
R. Cuius vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.

Oremus. Famulis tuis etc. *ut supra pag. 216 sed loco* „Desponsationis“ *dicitur* „Nativitatis.“

13. Pro festo Nominis B. M. V.

V. Dignare etc.
R. Da mihi etc. } *ut supra pag. 217.*

Oremus. Concede, quaesumus omnipotens Deus, ut fideles tui, qui sub sanctissimae Virginis Mariae nomine et protectione laetantur, eius pia intercessione a cunctis malis liberentur in terris, et ad gaudia aeterna pervenire mereantur in coelis. Per Dominum ....

14. Pro festo septem dolorum B. M. V.

(Dom. III. Sept.).

V. Regina Martyrum ora pro nobis,
R. Quae iuxta crucem Jesu constitisti.

Oremus. Deus, in cuius Passione secundum Simeonis prophetiem dulcissimam animam gloriosae Virginis et Matris Mariae doloris gladius pertransivit; concede propitius, ut qui dolores eius venerando recolimus, passionis tuae effectum felicem consequamur. — Qui vivis...

15. Pro festo B. M. V. de Mercede.

V. Dignare etc.
R. Da mihi etc. } *ut supra pag. 217.*

Oremus. Deus, qui per gloriosissimam filii Matrem ad liberandos Christi fideles a potestate paganorum nova ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es, praesta quaesumus, ut quam pie veneramur tanti operis institutricem, eius pariter meritis et intercessione a peccatis omnibus et captivitate daemonis liberemur. Per eumdem Dominum etc.

16. Pro solemnitate s. s. Rosarii B. M. V.

V. Dignare etc.
R. Da mihi etc. } *ut supra pag. 217.*

Oremus. Deus, cuius Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam nobis salutis aeternae praemia comparavit, concede quaesumus, ut haec mysteria sanctissimo beatae Mariae Virginis Rosario

recolentes et imitemur quod continent, et quod promittunt assequamur. Per eumdem etc.

17. Pro festo Maternitatis B. M. V.

V. Benedicta tu in mulieribus,
R. Et benedictus fructus ventris tui.
Oremus. Deus, qui de beatae etc. *ut supra pag. 216.*

18. Pro festo Puritatis B. M. V.

V. Cum iucunditate Virginitatem beatae Mariae semper virginis celebramus,
R. Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum nostrum Jesum Christum.
Oremus. Da, quaesumus omnipotens aeterne Deus, ut purissimae Virginis Mariae integerrimam Virginitatem festiva celebritate venerantes, eius intercessione puritatem mentis et corporis consequamur. Per Dominum etc.

19. Pro festo exspectationis partus B. M. V.

V. R. et *Oratio ut in festo Annunt. pag. 216.*

20. Pro festo Praesentationis B. M. V.

V. Dignare etc.
R. Da mihi etc. } *ut supra pag. 217.*
Oremus. Deus, qui beatam Mariam semper virginem Spiritus sancti habitaculum hodierna die in templo praesentari voluisti, praesta quaesumus, ut eius intercessione in templo gloriae tuae praesentari mereamur. Per Dominum.... eiusdem Spiritus....

DEVOTIO ERGA SANCTUM JOSEPHUM.

Officium parvum.

Ad Matutinum.

Salve Patriarcharum decus, et ecclesiae sanctae Dei oeconome, qui panem vitae, et frumentum electorum conservasti.

V. Domine, labia mea aperies,

R. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

V. Deus, in adiutorium meum intende,

R. Domine, ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri etc. Alleluia. (vel pro temporis diversitate) Laus tibi, Domine, Rex aeternae gloria.

Hymnus. Magne Joseph, Fili David, * Custos date Virgini, * Quem et Virgo nuncupavit * Patrem Christi Domini. * Qui fidelis servus Dei * Datus es familiae, * Precor velis curam mei * Tanquam Pater gerere.

Ant. Constituit eum dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae. *Ps. 104.*

V. Ora pro nobis beatissime Joseph,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Sanctissimae Genitricis tuae sponsi, quaesumus Domine, meritis adiuvemur; ut quod possibilitas nostra non

obtinet, eius nobis inercessione donetur. Qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

V. Domine, exaudi etc.
R. Et clamor meus etc.
V. Benedicamus Domino,
R. Deo gratias.
V. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.
R. Amen.

AD PRIMAM.

Salve Patriarcharum decus etc. usque ad Hymnum pag. 222.

Hymnus. Cum ferentem castam matrem ‘ Conspexisses uterum, * Et nescires tamen patrem, * Cor gerebas anxium; * Sed de coelo mox instructus, * Posuisti dubium. * Fac, ut omnis meus luctus * Transeat in gaudium.

Ant. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. *Matth. 1, 20.*

V. Ora pro nobis etc. ut supra pag. 222 et 223 usque ad Primam.

AD TERTIAM.

Salve Patriarcharum decus etc. usque ad Hymnum pag. 222.

Hymnus. Dum in Bethlem profecturus, * Pergeres cum virgine, * Deus nobis par futurus, * Natus est in tempore, * Quem in foeno collocatum, * Coluisti gnaviter; *

Nunc in coelo elevatum, * Ora pro me iugiter.

Ant. Ascendit Joseph a Galilaea de Nazareth, in Judaeam civitatem David, quae vocatur Bethlehem, cum Maria desponsata sibi uxore praegnante. *Luc. 2, 4.*

V. Ora pro nobis etc. ut supra pag. 222 et 223 usque ad Primam.

AD SEXTAM

Salve Patriarcharum decus etc. usque ad Hymnum pag. 222.

Hymnus. Vim Herodis evasisti * Monitus ab Angelo, * In Aegyptum cum duxisti * Virginem cum parvulo. * Per moerorem, quem tulisti * Isto in exilio, * Cum gravabor cura tristi, * Mihi sis auxilio.

Ant. Surge, et accipe puerum et matrem eius, et fuge in Aegyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi; futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum. *Matth. 2.*

V. Ora pro nobis etc. ut supra pag. 222 et 223 usque ad Primam.

AD NONAM.

Salve Patriarcharum decus etc. usque ad Hymnum pag. 222.

Hymnus. Ex Aegypto cum defessus, * Galilaeam peteres: * Es in Nazareth digressus, * Ut securus degeres. * In florentis hortum mentis * Amas Jesum ducere: * Da, florescat et mitescat, * Hortus meae animae.

Ant. Et consurgens ex Aegypto, accepit puerum et matrem eius, et venit in terram Israel, et habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth. *Matth. 2.*

V. Ora pro nobis etc. ut supra pag. 222 et 223 usque ad Primam.

AD VESPERAS.

Salve Patriarcharum decus etc. usque ad Hymnum pag. 222.

Hymnus. Quam dolebas, cum quaerebas * Duodennem Jesulum * Sed inventus, et retentus * Auxit ille gaudium. * Jesum, lumen oculorum * Fac me nunquam perdere; * Semper puritate morum * Menti adsit integrae.

Ant. Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. *Luc. 2.*

V. Ora pro nobis etc. ut supra pag. 222 et 223 usque ad Primam.

AD COMPLETORIUM.

Salve Patriarcharum decus, et ecclesiae sanctae Dei oeconome, qui panem vitae et frumentum electorum conservasti.

V. Converte nos, Deus, salutaris noster,

R. Et averte iram tuam a nobis.

V. Deus, in adiutorium etc., Gloria etc. ut supra pag. 222 usque ad Hymnum.

Hymnus. Inter Jesu et Mariae * Manus integerrimas, * Spiritum emittis pie, * Hinc ad sedes superas. * Eia, Jesu et Ma-

riae * Te coniunge tertium, * Quando me suprema die * Mors citabit anxium.

Ant. In pace in idipsum dormiam et requiescam: quoniam tu Domine, singulariter in spe constituisti me. *Ps. 4, 9.*

V. Ora pro nobis etc. ut supra pag. 222 et 223 usque ad Primam.

Commendatio. Cliens tibi dedicatus * Solvit hoc officium; * Eius votis tu vocatus * Redde beneficium; * Ut post huius vitae metam, * Tuo patrocinio, * Tecum vivam vitam laetam * Coeli in pallatio. Amen.

Litaniae de s. Josepho.

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison.
Christe, audi nos. — Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus — miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus — miserere nobis.
Spiritus sancte Deus — miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, — miserere nobis.

Sancta Maria, Sponsa s. Joseph,
Sancte Joseph, Sponse Mariae Virginis,
Tutor et nutritie Jesu,
Vir secundum cor Dei,
Fidelis serve et prudens,
Custos virginitatis Mariae,
Comes et solatium Mariae,
In virginitate mundissime,
In humilitate profundissime,

Ora pro nobis.

In caritate ardentissime,
In contemplatione altissime,
Qui vir iustus ipsius Spiritus sancti testimonio comprobatus es,
Qui in divinis mysteriis prae omnibus illuminatus fuisti,
Qui de sacro incarnati Verbi mysterio coelitus edoctus es,
Qui cum Maria desponsata tibi coniuge praegnante in Bethlehem profectus es,
Qui non inveniens locum in diversorio ad stabulum divertisti,
Qui Christo nascenti, positoque in praesepio adesse meruisti,
Qui Jesu sanguinem in circumcisione excepisti,
Qui puerum Jesum in templo cum Maria matre Domino praesentasti,
Qui Angeli monitu accepto cum puero et matre eius in Aegyptum fugisti,
Qui defuncto Herode cum puero et matre eius in terram Israel rediisti,
Qui amissum Hierosolymis Filium triduo cum Maria matre eius dolens quaesivisti,
Qui post triduum sedentem illum inter doctores gaudens invenisti,
Qui Dominum dominantium tibi in terris subditum habuisti,
Cuius laus est in Evangelio: Vir Mariae, de qua natus est Jesus,

Ora pro nobis.

Advocate noster,—audi nos, sancte Joseph.
Patrone noster, — audi nos, sancte Joseph.
In omnibus necessitatibus nostris,
In omnibus angustiis nostris,
In hora mortis nostrae,
Per castissimam desponsationem tuam,
Per paternam curam et fidem tuam,
Per labores et sudores tuos,
Per omnes virtutes tuas,
Per summum honorem, et sempiternam beatitudinem tuam,
Per fidelem intercessionem tuam.
Clientes tui, — te rogamus, audi nos.
Ut a Jesu peccatorum nostrorum veniam nobis impetrare digneris,
Ut omnibus in virginali et coniugali statu viventibus, convenientem castitatem impetrare digneris,
Ut omnibus congregationibus perfectum amorem, et concordiam impetrare digneris,
Ut praesidibus ac praelatis omnibus in subditorum suorum gubernatione adesse digneris,
Ut patribus familias in christiana liberorum educatione opitulari digneris,
Ut omnes de tuo patrocinio confidentes protegere digneris,
Ut congregationibus tuo nomine et patrocinio institutis paterno semper auxilio subvenire digneris,
Ut cum Jesu et Maria in extremo vi-

Adiuva nos, s. Joseph.

Te rogamus, audi nos.

tae articulo nos invisere, nobisque praesto esse digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis intercessionis tuae suffragio succurrere digneris,
O caste Mariae sponse,
O fidelis Jesu nutritie,
Sancte Joseph,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,— parce nobis Domine.
Agnus Dei, etc., — exaudi nos Domine.
Agnus Dei, etc., — miserere nobis.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.
Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison. Pater noster etc.

Te rogam. audi nos.

V. Ora pro nobis beatissime Joseph,
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Deus, qui sanctum Josephum sponsum Mariae semper Virginis, et Filii tui dilecti Domini nostri Jesu Christi tutorem et nutritium elegisti; te supplices exoramus, ut animae et corporis puritatem eius patrocinio nobis concedas propitius; ut puri ab omni macula, et veste nuptiali ornati, ad coeli nuptias admittamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

Oratio, qua s. Joseph patronus eligitur.

O sancte Joseph, Redemptoris mei Christi Jesu fidelis oeconome ac nutritie, castissime Virginis Deiparae sponse, ego

N. N. te hodie patronum et advocatum meum singularem eligo, firmiterque propono, me numquam te derelicturum, nec permissurum, ut a quopiam ex meis subditis aliquid contra tuum honorem agatur. A te igitur peto suppliciter, ut me clientem perpetuum suscipere, in rebus dubiis instruere, in adversis solari, in hora denique mortis defendere ac protegere digneris. Amen.

Oratio ad impetrandam sancti Josephi intercessione gratiam pie communicandi.

O beatissime Joseph, quanta tibi a Deo gratia concessa est, quod unigenitum eius Filium in carne (quem tot reges videre frustra exoptarunt) non tantum videris, sed et brachiis paterno affectu amplexus fueris! utinam ego hoc tuo exemplo inflammatus, et patrocinio adiutus, Dominum ac Redemptorem meum Christum Jesum simili amoris ac reverentiae affectu complectar in sanctissimo altaris Sacramento, quo merear eumdem posthac in aeternum complecti in coelis!

Oratio, qua sanctus Josephus in via vitae huius dux et comes petitur.

O sancte Joseph, qui tanquam pater et manuductor Christum Jesum in pueritia et iuventute per omnes peregrinationis humanae vias fidelissime deduxisti, mihi quoque, obsecro in vitae meae peregrinatione tanquam comes et dux, assiste, nec un-

quam permitte me a via mandatorum Dei declinare; sis mihi in adversis praesidium, in aerumnis solatium, donec tandem ad terram viventium perveniam, ubi tecum et cum sanctissima sponsa tua Maria, omnibusque Sanctis aeternum in Deo Jesu meo exsultem. Amen.

Oratio ad quaelibet sancti Josephi intercessione impetranda.

O sancte Joseph, cui Jesus hic in terris sese subiecit, prompteque obedivit, quemque singulare semper honore et amore prosecutus est; quomodo idem in coelis, ubi tua nunc remunerantur merita, quidquam tibi denegabit? ora pro me, o sancte Joseph, gratiamque impetra imprimis, ut peccata omnia serio detester et fugiam, praesertim ista ...., ut vitam emendem, constanterque me virtutum studio, praesertim istarum .... impendam, ut liberer ab his tentationibus .... et peccandi occasionibus necnon et ab afflictione ac miseria hac .... nisi divinae id voluntati, meaeque saluti adversetur. In his tamen et aliis omnibus totum me divino arbitrio et dispositioni, tuaeque paternae fidei, o sancte Joseph, subiicio et committo. Amen.

Oratio pro felici morte impetranda.

O sancte Joseph, qui in suavissimo Jesu clientis tui, et dulcissimae sponsae tuae Mariae complexu ex hac vita emigrasti;

succurre mihi, o sancte pater, cum Jesu et Maria, tunc potissimum, quando mors vitae meae finem imponet, illudque, quod unice peto, solatium mihi impetra, ut in iisdem sanctissimis Jesu et Mariae brachiis exspirem. In manus vestras vivens et moriens commendo spiritum meum, Jesu, Maria, Joseph!

DEVOTIO ERGA S. ALOYSIUM.

OFFICIUM PARVUM.

Ad Matutinum.

V. Domine, labia mea aperies,
R. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
V. Deus, in adiutorium meum intende,
R. Domine, ad adiuvandum me festina.
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto; Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.
Alleluia vel (pro diversitate temporis) Laus tibi Domine, rex aeternae gloriae.

Hymnus. Ut candet albo vellere * Agnellus absque labe; * Sic splendet innocentiae * Aloysius nitore. * O Aloysi candide * Integritate vitae! * Et nos fac innocentiae * Semper nitere laude.

Ant. Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti in conspectu tuo in aeternum.

V. Quis ascendet in montem Domini, aut qui stabit in loco sancto eius?

R. Innocens manibus et mundo corde.

Oremus. Coelestium donorum distributor Deus! qui in angelico iuvene Aloysio miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociasti, eius meritis, et precibus concede, ut innocentem non secuti, poenitentem imitemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

AD LAUDES.

V. Deus, in adiutorium meum intende,

R. Domine, ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio etc. Alleluia.

Hymnus. Coelestis instar lilii * Gonzaga pure flores; * Terrestris instar Angeli * Gonzaga caste fulges. * O Aloysi! floream * Candore, puritatis; * Totaque vita fulgeam * Splendore castitatis!

Ant. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est, et apud homines, et in perpetuum coronata triumphat.

V. Justus germinabit sicut illum,

R. Et florebit in aeternum ante Dominum.

Oremus. Coelestium donorum etc. *ut supra in hac pagina.*

AD PRIMAM.

V. Deus, in adiutorium meum intende,
R. Domine, ad adiuvandum me festina.
Gloria Patri et Filio etc. Alleluia.

Hymnus. Artus tenellos hispida * Gonzaga; veste stringis, * Largi cruoris purpura * Contusa membra pingis. * Hoc, Aloysi, spiritu * Mens nostra fac calescat, * Victoque carnis impetu * Rebellio tepescat.

Ant. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.

V. Amavit eum Dominus et ornavit eum,
R. Stolam gloriae induit eum.

Oremus. Coelestium donorum etc. *pag. 233.*

AD TERTIAM.

V. Deus, in adiutorium meum intende,
R. Domine, ad adiuvandum me festina.
Gloria Patri et Filio etc. Alleluia.

Hymnus. Quid sceptra sunt, quid regna sunt? * Quid, inquis, alta spero? * Haec umbra sunt, haec transeunt, * Aeterna sola quaero. * O Aloysi! doce nos * Calcare vanitatem, * Aeterna sola quaerere, * Amare veritatem.

Ant. Hic vir despiciens mundum et terrena, triumphans divitias coelo condidit ore manu.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas,
R. Et ostendit illi regnum Dei.

Oremus. Coelestium donorum etc. *pag. 233.*

AD SEXTAM.

V. Deus, in adiutorium meum intende,
R. Domine, ad adiuvandum me festina.
Gloria Patri et Filio etc. Alleluia.

Hymnus. O quantus ardor intimis * Exaestuat medullis, * Dum Numini cum lacrymis * Laudes precesque fundis! * O Aloysi! flammulam * Efflagita roganti, * Et lacrymarum stillulam * Exposce supplicanti.

Ant. Invocantem exaudivit Dominus Sanctum suum, Dominus exaudivit eum et constituit eum in pace.

V. Ora pro nobis, beate Aloysi!
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Coelestium donorum etc. *pag. 233.*

AD NONAM.

V. Deus, in adiutorium meum intende,
R. Domine, ad adiuvandum me festina.
Gloria Patri et Filio etc. Alleluia.

Hymnus. Quam flagrat eucharistico * Succensa mens amore! * Jesum sub orbe candido * Quo suscipis sapore! * O Aloysi! roboret * Nos panis Angelorum: * Amore nos inebriet, * Et fonte gaudiorum!

Ant. Quid bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?

R. Cibavit illum ex adipe frumenti,
R. Et de petra melle saturavit eum.
Oremus. Coelestium donorum etc. *pag. 233.*

AD VESPERAS.

V. Deus, in adiutorium meum intende,
R. Domine, ad adiuvandum me festina.
Gloria Patri et Filio etc. Alleluia.

Hymnus. Iam quo Mariam Virginem * Complexus est amore? * Et haec iuventae principem * Dignata quo favore? * O Aloysi! ferveam * Devotione tali! * Deique matrem diligam * Amore filiali.

Ant. Ego mater pulchrae dilectionis et timoris, et agnitionis, et sanctae spei.

V. Qui me invenerit, inveniet vitam,
R Et hauriet salutem a Domino.
Oremus. Coelestium donorum etc. *pag. 233.*

AD COMPLETORIUM.

V. Converte nos, Deus, salutaris noster,
R. Et averte iram tuam a nobis.
V. Deus, in adiutorium meum intende,
R. Domine, ad adiuvandum me festina.
Gloria Patri et Filio etc. Alleluia.

Hymnus. Aloysius virtutibus * Ornatus astra scandit * Illique Christus obvius * Stellata templa pandit. * O Aloysi! gloriam * Hanc impetra petenti * Et criminum victoriam, * Patrone, da clienti.

Ant. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.

V. Consummatus in brevi explevit tempora multa,
R. Placita enim erat Deo anima illius.
Oremus. Coelestium donorum etc. *pag. 233.*

Litaniae de sancto Aloysio.

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison.
Christe, audi nos. — Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, — miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, — miserere nobis.
Sancta Maria, Regina Angelorum, — ora pro nobis.
S. Maria, Regina Virginum,
S. Aloysi,

Sancte Aloysi	Ora pro nobis.
Iuvenis prudentissime,	
Iuvenis angelice,	
Iuvenis modestissime,	
Diligentissime imitator B. V. Mariae,	
Amator pauperum,	
Contemptor mundi,	
Tui corporis osor,	
Inter voluptates castissime,	
Inter honores humillime,	
Sine distractionibus orans,	
Semper florens in gratia,	
Semper crescens in virtute,	

Sancte Aloysi

Semper ardens caritate,
Custos tuorum sensuum,
Venerator vulnerum Christi,
A turpibus cogitationibus semper liber,
A stimulis carnis semper immunis,
Vetus pugil Christi,
Dux viatorum,
Consiliari dubitantium,
Conciliator pacis inter inimicos,
Defensor pugnantium,
Terror daemonum,
Salus infirmorum,
Restitutor memoriae,
Lumen caecorum,
Pes claudorum,
Leprosorum mundator,
Mortuorum suscitator,
Gloria principum,
Religiosorum speculum,
Iuventutis exemplar,
Idea perfectionis,
Decus Societatis Jesu,
Defensor innocentiae,
Martyr incognite,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — miserere nobis.
Christe, audi nos. — Christe, exaudi nos.

Kyrie, eleison. — Christe, eleison.— Kyrie, eleison. Pater noster etc.

V. Iste est beatus, qui contempsit vitam mundi,

R. Et pervenit ad coelestia regna.

V. Domine, exaudi orationem meam,

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Tu, Domine, exaudi preces nostras, et per intercessionem s. Aloysii famuli tui concede, ut, quod vocatio nostra desiderat, impleamus, et de virtute ad virtutem progredientes regni coelestis participes fieri mereamur. Per Christum etc.

Suspiria sancti Aloysii Gonzagae.

1. O Christe, pendes arbore * Amore vulneratus, * Pendes amoris victima! * Quid, Christe mi, rependam?

2. Lates minuto maximus * Sub panis involucro, * Mihique te das ferculum, * Quid, Christe mi, rependam?

3. Me sic amantis gloriae * Vitamque, sanguinemque * Si millies impendero, * Proh quantulum rependam!

4. Haec sola posthac vita sit * Sudor, laborque solus, * Amare te pro viribus * Morique sic amando.

5. Et te, Maria, Virginem, * Cum Filio, Parentem * Dum spiro, testor sidera, * Te diligam, Maria.

6. Sed, Mater, ut clientulum * Iuves periclitantem, * Per Filii te vulnera * Obtestor, et cruorem.

ORATIONES PRO SEX CONTINUIS DIEBUS DOMINICIS, QUIBUS S. ALOYSIUS COLI SOLET.

1. Oratio ad s. Aloysium pro impetranda et conservanda vitae innocentia et puritate.

Innocentissime Aloysi! qui speciali Dei gratia et immaculatae Virginis patrocinio non modo ab omni graviori culpa, verum etiam ab impuris tentationibus semper immunis fuisti; te humillime rogo, ut mihi indignissimo clienti tuo a purissimo Jesu, eiusdemque immaculata Matre, et Virgine Maria impetrare digneris gratiam impuris tentationibus semper resistendi, et potius millies moriendi, quam ut animam meam peccato gravi contaminem. Amen.

2. Oratio ad s. Aloysium pro impetranda sanctitate interna.

Aloysi cum Deo coniunctissime, qui ab interno semper operatus, mirabiles ad Deum ascensiones fecisti, quique in corde tuo tam ardenti in Deum amore flagrasti, ut martyr incognitus merito dicereris; impetra mihi, obsecro, apud divinam Maiestatem gratiam efficacem, ut corde puro, et a rebus terrenis abstracto unice Deo meo adhaeream, nec unquam alio tendant meae cogitationes, verba et opera, quam ut illi soli placeam, et sanctissimam illius in omnibus expleam voluntatem. Amen.

3. Oratio ad s. Aloysium pro impetranda sanctitate externa.

Angelice Aloyisi! qui mirabili vitae austeritate sensus et carnem crucifixisti cum concupiscentiis suis; tu nosti, quot quantaeque tentationes, et pericula per sensus, et carnem penetrent in meam animam; te proinde humillime oro, intercede pro me, ut continua mortificatione ita contineam sensus et carnem meam, ut numquam aliquid agant contra legem Dei, sed perfecte subiecta spiritui in timore et modestia suo serviant creatori. Amen.

4. Oratio ad s. Aloysium pro impetranda vera devotione.

Devotissime Aloysi! tu tam sublimi a Deo donatus fuisti devotionis gratia, ut ab omni mentis evagatione liber ferventissime ad Deum orares, ac praecipue Eucharisticum Numen ardentissima pietate coleres; ah! impetra mihi, ut sancto et frequenti huius Sacramenti usu in vera devotione indies crescam et haustis inde gratiarum donis adiutus in christianis virtutibus proficiam. Amen.

5. Oratio ad s. Aloysium pro impetranda gratia sanctae conversationis.

Modestissime Aloysi! qui Angelica tua modestia, et sanctae conversationis exem-

plo plurimorum corda et oculos ad te attraxisti; te oro humillime, ne permittas me unquam perversae societatis laqueis irretiri. Dirige me tot inter viae ac vitae huius corruptelas, ut cautae ac piae conversationis exemplo maiorem Dei gloriam, et proximorum salutem promovere semper valeam. Amen.

6. Oratio ad s. Aloysium pro impetrando fervore in cultu et amore Mariae.

Aloysi, Mariani cultus zelosissime! oro te per ferventem illum amorem, quo Mariam semper ut matrem amasti; excita in corde meo filialem in Dei matrem fiduciam et affectum, ut post Deum primo loco semper amem Mariam, hanc imiter, ad hanc recurram in omnibus meis necessitatibus. Denique impetra mihi gratiam sub tutela Mariae semper vivendi, et beate moriendi. Amen.

LITANIAE DE OMNIBUS SANCTIS.

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison.
Christe, audi nos. — Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — miserere nobis.
Filii Redemptor mundi Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, — miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, — miserere nobis.
Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis,
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, orate pro nobis.
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Matthaee.
Sancte Simon,
Sancte Thaddaee,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,

Ora pro nobis.
Ora pro nobis.

Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate pro nobis.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes sancti Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Vincenti, ora pro nobis.
Sancti Fabiane et Sebastiane,
Sancti Joannes et Paule,
Sancti Cosma et Damiane,
Sancti Gervasi et Protasi,
Omnes sancti Martyres,
} Orate pro nobis.

Sancte Silvester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
} Ora pro nobis.

Omnes sancti Pontifices et Confessores orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores, orate pro nobis.

Sancte Antoni,
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
} Ora pro nobis.

Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi et Eremitae, orate pro nobis.

Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Ora pro nobis.

Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro nobis.

Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.

Propitius esto, parce nobis, Domine.

Propitius esto, exaudi nos, Domine.

Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio, et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A flagello terrae motus,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per Baptismum et sanctum ieiunium tuum,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,
Libera nos, Domine.

Per sanctam resurrectionem tuam, — libera nos, Domine.

Per admirabilem ascensionem tuam, — libera nos, Domine.

Per adventum Spiritus sancti Paracleti, — libera nos, Domine,

In die iudicii, — libera nos, Domine.

Peccatores,

Ut nobis parcas,

Ut nobis indulgeas,

Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,

Ut ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,

Ut domnum Apostolicum et omnes ecclesiasticos Ordines in sancta religione conservare digneris,

Ut inimicos sanctae ecclesiae humiliare digneris,

Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,

Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,

Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,

Ut animas nostras, fratrum, propin-

Te rogamus audi nos.

quorum, et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,
Agnus Dei; qui tollis peccata mundi, — parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — exaudi nos, Domine.
Agnus Dei etc., — miserere nobis.
Christe, audi nos. — Christe, exaudi nos.
Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison. — Pater noster. secreto.

Te rog. audi nos.

V. Et ne nos inducas in tentationem,
R. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69. Deus, in adiutorium meum intende: * Domine, ad adiuvandum me festina.

Confundantur, et revereantur, * qui quaerunt animam meam:

Avertantur retrorsum: et erubescant, * qui volunt mihi mala:

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exsultent et laetentur in te omnes qui quaerunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, et pauper sum: * Deus, adiuva me.

Adiutor meus, et liberator meus es tu; Domine, ne moreris.

Gloria Patri, et Filio etc.

Sicut erat etc.

V. Salvos fac servos tuos,

R. Deus meus, sperantes in te.

V. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis,

R. A facie inimici.

V. Nihil proficiat inimicus in nobis,

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

V. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis,

R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

V. Oremus pro Pontifice nostro N.

R. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum eius.

V. Oremus pro benefactoribus nostris,

R. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

V. Oremus pro fidelibus defunctis,

R. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace,

R. Amen.

V. Pro fratribus nostris absentibus,

R. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.
V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto,
R. Et de Sion tuere eos.
V. Domine, exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum,
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et iusta sunt opera; da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis; te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum etc.

V. Dominus vobiscum,
R. Et cum spiritu tuo.
V. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus,
R. Amen.
V. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.
R. Amen.

ORATIONES DIVERSAE

ex quibus pro sua quisque conditione, necessitate et devotione unam alteramve seligere potest.

1. Oratio universalis pro impetrandis omnibus ad salutem nostram spectantibus.

Credo, Domine; adiuva incredulitatem meam, ut credam firmius. Spero, Domine; confirma spem, ut sperem securius. Amo, Domine; perfice caritatem, ut amem ardentius. Doleo, Domine; sed fac, ut doleam vehementius. — Adoro te ut primum principium; desidero te ut finem ultimum: laudo te, ut benefactorem perpetuum; invoco te, defensorem propitium. — Tuâ me sapientiâ dirige, iustitiâ contine, clementiâ solare, potentiâ protege. — Offero tibi, mi Deus, cogitanda, ut sint ad te: dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te. — Volo, quod vis; volo, quia vis; volo, quomodo vis; volo, quamdiu vis. — Oro, Domine, ut intellectum illumines, volun-

tatem inflammes, corpus emundes, animam sanctifices. — Defleam praeteritas iniquitates, repellam futuras tentationes, corrigam vitiosas propensiones, excolam idoneas virtutes! — Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi, disiderium coeli. — Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, inimicis parcere. — Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate. — Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, in prosperis humilem. — Fac, Domine, ut sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus. — Curem habere innocentiam interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem. — Assidue invigilem naturae domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae. — Discam a te, quam tenue, quot terrenum, quam grande, quod divinum, quam breve, quod temporaneum, quam durabile, quod aeternum. — Da, Domine, ut mortem praeveniam, iudicium pertimeam, infernum effugiam, paradisum obtineam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

2. Oratio pro qualibet re a Deo impetranda.

Omnipotens sempiterne Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis

infinitus est thesaurus; en ego peccator, (qui nunc ex intimo corde doleo, quod clementissimum Patrem meum unquam offenderim) cum filiali fiducia ad infinitam maiestatem tuam supplex accedo! ne, quaeso, me, quem infinitâ potentiâ tuâ ex nihilo creasti, summo amore in filium et haeredem coelestis gloriae adoptasti, immensa bonitate morte unigeniti et aeterni Filii tui ab aeterna damnatione liberasti; ne, obsecro, me, cui haec omnia licet indignissimo praestitisti, a facie tua repellas. Per ineffabilem misericordiam tuam, quâ gravissimos etiam peccatores vere contritos in momento ex abysso omnium scelerum pia miseratione extraxisti; per merita dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, per ardentissimam Spiritûs sancti caritatem, quâ te Patrem cum Filio complectitur; per beatissimam Virginem Mariam, a te in filiam, a Filio tuo in Matrem, a Spiritu sancto in sponsam ab aeterno electam et praeordinatam; per omnium denique Angelorum et Sanctorum merita ac laudes suppliciter oro, ut miserearis mei, tuamque aurem ad preces meas inclines. O clementissime Pater! aperi thesauros inexhaustae bonitatis tuae, meque infinitae liberalitatis tuae fac esse participem — Peto ut.... Converte, quaeso Domine, benignitatis tuae mitissimos oculos ad me, licet indignissimam creaturam tuam et esto

propitius supplicationibus meis. Iterum te, Domine, mi Deus, per omnia, quae in coelo et in terra tibi cara sunt, suppliciter oro, ut quod peto, benigne mihi largiaris. Si vero, quod peto, voluntati tuae adversetur, ne id mihi largiaris; unice enim volo, mi Deus, quod tu vis, et quod tu non vis, id ego unice nolo. Scio, o bonitas, scio, id mihi solum obesse, quod tibi non placet, omne vero bonum meum in tuo esse beneplacito. Non ergo mea, Domine, non mea, sed tua in omnibus sanctissima voluntas fiat. Amen.

3. Oratio tam pro privatis quam pro publicis necessitatibus.

(Iubente Urbano VIII. Papa edita.)

Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, et plagas, quas accepimus, conferimus. — Si pensamus malum, quod fecimus, minus est quod patimur, maius est quod meremur, — Gravius est, quod commisimus, levius est quod toleramus. — Peccati poenam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus. — In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, et iniquitas non mutatur. — Mens aegra torquetur, et cervix non flectitur. — Vita in dolore suspirat, et in opere non se emendat. — Si exspectas, non corrigimur; si vindicas, non duramus. — Confitemur in correctione quod egimus, obliviscimur post visitatio-

nem quod flevimus. — Si extenderis manum, facienda promittimus; si suspenderis gladium, promissa non solvimus. — Si ferias, clamamus, ut parcas; si peperceris, iterum provocamus, ut ferias. — Habes, Domine, confitentes reos; novimus, quod nisi dimittas, recte nos perimas. — Praesta, Pater omnipotens, sine merito, quod rogamus, qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

V. Gregem tuum, Pastor aeterne, non deseras,
R. Sed per beatos Apostolos tuos perpetua defensione custodias.
V. Protege, Domine, populum tuum ad te clamantem, et Apostolorum tuorum patrocinio confidentem,
R. Perpetua defensione custodias.
V. Orate pro nobis sancti Apostoli Dei,
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio. Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicae confessionis petra solidasti. Per Dominum nostrum etc.

Imploret, clementissime Domine, nostris opportunam necessitatibus opem devote a nobis prolata meditatio, qua sanctus olim Joannes Chrysostomus, in hac Basilica conditus, te cum beatissimis Apostolis Petro

et Paulo repraesentavit sic colloquentem: Circumdate hanc novam Sion, et circumvallate eam, hoc est, custodite, munite, precibus firmate; ut quando irascor in tempore, et orbem terrae concutio, aspiciens sepulchrum vestrum numquam desiturum, et quae libenter propter me geritis stigmata, iram misericordia vincam, et ob hanc percipiam vestram intercessionem. Etenim quando Sacerdotium et Regnum video lacrymari, statim quasi compatiens ad commiserationem flector, et illius meae vocis reminiscor. Protegam Urbem hanc propter David servum meum, et Aaron sanctum meum, Domine, fiat, fiat. Amen, Amen.

4. Oratio s. Thomae Aquinatis, quâ virtutes christiani hominis petuntur.

Concede mihi, misericors Deus, quae tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, perfecte adimplere ad laudem et gloriam nominis tui. Ordina statum meum, et quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam, et da exsequi sicut oportet et expedit animae meae. Da mihi, Domine, Deus meus, inter prospera et adversa non deficere, ut in illis non extollar, in istis non deprimar; de nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te vel abducat a te, nulli placere appetam vel displicere ti-

meam, nisi tibi. Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, et cara mihi sint omnia tua propter te, et tu, Deus, praeter, omnia. Taedeat me gaudii, quod est sine te; nec aliquid cupiam, quod est extra te. Delectet me, Domine, labor, qui est pro te, et taediosa mihi sit omnis quies, quae est sine te. Frequenter da mihi, Domine, cor ad te dirigere et in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientem sine contradictione, pauperem sine defectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione et hilarem sine dissolutione, tristem sine deiectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, timentem sine desperatione, veracem sine duplicitate, operantem bona sine praesumptione, proximum corrigere sine elatione, ipsum aedificare verbo et exemplo sine simulatione.

Da mihi, dulcissime Jesu, cor pervigil, quod nulla abducat a te curiosa cogitatio; da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla deorsum obliquet sinistra intentio; da invictum, quod nulla frangat tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet perversa et violenta affectio. Largire mihi, Domine, Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placen-

tem, perseverantiam te fideliter exspectantem et fiduciam te finaliter amplectentem, Filii tui poenis configi per poenitentiam, tuis beneficiis uti in via per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam. Amen.

5. Oratio pro impetranda animae et corporis puritate.

Domine Deus omnipotens, qui creasti animam meam ad similitudinem tuam, noli, quaeso, permittere, ut imaginem tuam unquam commaculem. Tu minaris interitum iis, qui violant sanctum templum tuum; corpus meum, o mi Deus, est templum tibi sacratum, in quo Spiritus sanctus residet per gratiam suam, quodque Jesus Christus toties sanctificavit honorabili praesentiâ suâ, se ipsum mihi communicando in sacra synaxi. Noli ergo, Deus, in hoc templo tolerare abominationes illas, quas tanto horrore exsecraris, nec permitte, puritatem cordis aut corporis mei quavis ratione violari. — Scio, speciali gratiâ opus esse ad conservandam pretiosam hanc margaritam, atque ideo ad te confugio, sponse castissime virginum. Quam multi ope gratiae tuae in terris vixerunt, velut Angeli in coelis? Non minus fragiles illi fuerunt, quam ego; non est igitur, cur fragilitas mea me deiiciat, aut difficultates terreant, si non minus quam ipsis, digneris vires addere infirmitati meae; quid enim non

possim in eo, qui me confortat? — Da ergo mihi gratiam, ut tanta cura mihi invigilem, tantoque cum fervore precibus insistam, ut tentator, inimicus gloriae tuae meaeque salutis, numquam aliquid contra me evincat. Fac, ut ita regam ac moderer imaginationem meam, ita custodiam omnes sensus meos, ut tam sollicite declinem omnes occasiones, ita abhorream ab omni eo, quod puritatem labefactare possit, tamque tenerae hac in re sim conscientiae, ut nihil unquam in me tam excellentem ac delicatam virtutem possit obfuscare. — O Domina et Mater mea, Maria! in fidem et signum meae subiectionis consecro tibi hodiernum diem et dono oculos meos, aures, linguam, cor ac totum me; itaque per hunc diem totus tuus sum integre; tu me defende, et posside tanquam tuum! *(P. Zucchi S. J.)*

Obsecro te, Virginum castissima! per immaculatam tuam conceptionem, ut mihi hodie fideliter assistas, ne quid mihi contra castitatem culpabiliter contingat. Flos castitatis, Dei Genitrix, intercede pro me!

Per tuam sanctissimam Virginitatem, purissima Virgo Maria, emunda carnem et animam meam.

6. Oratio ad petendam victoriam de pravis inclinationibus.

Deus sancte, Pater misericordiarum, qui me creasti, ut in libertate filiorum tuorum

tibi servirem; ne permitte, ut diutius subiectus sim legi probrosae mearum malarum passionum. Adiuva me, ut me expediam ex earum tristi servitute. Confirma me in certamine, quod mihi contra me ipsum est ineundum. — Tu nosti, Domine, infirmitatem meam, et robur adversariorum meorum, mihi dominantium; miseriarum mearum testes ante oculos tuos habes. Quovis momento ira me abripit, inflat superbia, dolor deiicit, incontinentia periculis exponit, morosum ac tetricum ingenium aliis intolerabilem reddit, acedia ab impletione muneris retrahit, amor proprius operibus etiam piis se immiscens, meliorem partem tibi debitam suffuratur. Qualis violentia, mi Deus! qualis servitus animae aspirantis nihilominus ad tui amorem, tibique se totam tradere cupientis! — Verum detestor et reprobo has omnes impotentis animi affectiones, doleoque, quod illis, utpote tibi summopere displicentibus, toties obsecutus fuerim, tuumque infinitam bonitatem toties offenderim, quoties illis morem gessi. Absit, ut in posterum, quocumque etiam meo periculo et labore, tam periculosis suggestionibus obtemperem: quovis meliore modo illis resistam utpote fontibus omnium peccatorum meorum. In nomine tuo, Deus, arma corripiam ad hostem hunc oppugnandum, quem tot alii, tuâ adiuti gratiâ, tanta cum

gloria ac felicitate prostraverunt. In hoc quoque nomine tuo plenam de illis spero victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

7. Oratio ad petendam sapientiam.

Omnipotens sempiterne Deus, qui verus fons luminis diceris, atque supereminens principium; infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium claritatis; duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium reddis disertas, linguam meam erudias atque labiis meis gratiam tuae benedictionis infundas. Bonitatem et disciplinam et scientiam tuam doce me; doce me facere voluntatem tuam. Da mihi Spiritum sanctum tuum rectum, ut non aberrem ullis illecebris allectus a semita mandatorum tuorum. Praesertim autem, Domine, da mihi gratiam bene cognoscendi te et quem misisti Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

8. Oratio pro impetranda patientia.

O mi Deus, unicum refugium meum, omnisque consolatio mea in aerumnis, quibus haec misera vita quovis tempore premitur et exagitatur; sustine me potenti auxilio gratiae tuae, quia sine te corruo,

meaeque fragilitati succumbo. Etsi probe noverim, praestare, ut hic patiamur, quam ut ducamus in bonis dies nostros; toleranda esse adversa, ut satisfaciamus pro peccatis, promereamur coelum, propiusque accedamus ad similitudinem Christi, qui totam vitam in cruce et doloribus transegit; etsi praeterea satis convictus sim, impatientiâ et aegritudine animi exasperari mala mea, cum lenire illa deberent, hacque ratione meritum patientiae, gustum ac devotionem in precibus, pacem cum aliis ac mecum ipso amitti; nihilominus, nisi tu me sustentes, viresque tribuas, cedo stomachanti naturae meae, trado me maligno et impatienti genio meo, taediisque in languorem animi, tristitiam ac dolorem me coniicientibus vincor atque constringor.

O mi Deus! mitte mihi hoc tristissimo tempore s. Angelum tuum consolatorem, aut potius, esto tu consolator meus. Confortа me consideratione gaudiorum aeternorum, quae consequentur has brevissimi temporis miserias; excita me ad patiendum exemplo magnorum Sanctorum, qui patientiam suam probarunt in opprobriis, cruciatibus corporis, aerumnis spiritus, persecutionibus, paupertate, derelicti et contempti a toto mundo. Plus illi passi sunt, quam ego. Ipsorum aerumnae finem habent, habebunt et meae. Tu ro-

bur ipsis addebas erasque fortitudo ipsorum, Jesu crucifixe! esto et mea. Non recuso pati, imo volo pati; pro te utique pati, et si fieri potest, ea cum resignatione, quâ tu passus es. Commendo me ergo, et totum me tibi trado, sperans fore, ut postquam me iuveris in portanda cruce in terris, mihi requiem aeternam des in coelis. Amen.

9. Oratio pro impetrando timore Dei.

O me durum et praefractum! Quomodo adeo insensata es anima mea, ut Deum et Dominum tuum nec ames, nec timeas, nec propter illius iustitiam et tuam ipsius iniustitiam pudore et terrore concutiaris! Vae mihi caeco et stupido, qui me et peccata mea non agnosco et Dei iudicia, quae sunt abyssus multa, non extimesco cum viro sancto, qui dixit: „Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.“ Sed confige, Domine, timore tuo carnes meas et spiritum compunctionis largire, ut cum timore et tremore serviam tibi, qui ignis consumens es, et ad cuius conspectum etiam Angeli contremiscunt. Aperi oculos meos, ut videam et perhorrescam meas tenebras et sordes, meas miserias et poenas, quas meritus sum. Non homines, sed te timeam, qui potes animam et corpus mittere in gehennam, et iustitias ipsas in servis tuis iu-

dicas, unicuique secundum opera sua redditurus. Discam sub potenti manu tua me humiliare, sciam novissima mea providere, ac meam salutem cum timore et tremore operari non desinam. Tibi enim, Domine, iustitia, nobis autem confusio faciei debetur, qui a mandatis tuis ac iudiciis declinavimus. Deus, qui terribilis es et metuendus nimis; propitius esto mihi peccatori. Amen.

10. Oratio pro vera spe impetranda.

In te, Domine, speravi, ac bonitati tuae confidam semper, benignissime Deus, qui sperantes in te numquam deseris, sed illis gratiam hoc tempore, et futurae vitae gloriam perpetuam polliceris. — Da mihi, quaeso, Deus omnipotens, Deus clemens, Deus patiens, qui manuum tuarum figmentum fragile cognoscis, da, inquam, ut sine desperatione et praesumptione tibi recte fidam, tuaque potentia et bonitate in rebus omnibus nitar, ac praesertim in rebus adversis a te summo bono constanter longanimiterque pendeam et exspectem bona omnia, maxime vero spiritualia et aeterna, quae nobis dare constituis. In te, Domine, sperabo, qui es refugium meum, fortitudo mea, et salus mea, quique non derelinquis nisi derelinquentem te, et a te fonte vivo fugientem. Non timebo igitur, sed firmiter in te sperabo in te vir-

tutem faciam, et inimici mei omnes ad nihilum redigentur. Si enim tu, Deus, pro nobis, quis contra nos? — Auge in me veram et firmam fiduciam, quâ saepe ad gratiae tuae thronum accedam, et promissam opem atque misericordiam tuam petam et consequar, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc. Amen.

11. Oratio pro caritate consequenda.

Diligam te, Domine, summum aeternumque bonum, quemadmodum tu mandasti, et ego debeo; diligam, inquam, et quidem ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota mente mea, et ex omnibus viribus meis. — Hoc autem ut fiat, ardeat in me, quaeso, ille caritatis ignis, quem ut in nobis accenderes, de coelo venisti, et Spiritum sanctum, qui et ipse est caritas, credentium cordibus infudisti. — Aufer a me caritatis venenum et malorum omnium radicem, cupiditatem; cuius loco insere cordi meo placentem tibi super omnia castae dilectionis affectum, ut te super omnia, proximum vero in te et propter te sincere diligam. — Et quia primum et summum, sicut et alterum caritatis praeceptum tuum aeque necessarium est, utrumque quaeso, suam apud me totam illam vim et energiam habeat, quas tu iustissime postulas. — Sed opus est Spiritu tuo san-

cto, qui caritatis legem inscribat cordi meo, ut te super omnia quaeram, mediter, et in viis omnibus tibi flagranti animo adhaeream. — Nec permittas fraternum amorem in nobis refrigescere, sed amoris vinculo nos velut eiusdem capitis et corporis membra, coniunge, ut cum amicis et hostibus coniunctissime vivamus, nec verbo et lingua tantum, sed etiam opere et veritate de omnibus bene mereamur, Christique perfecte nos amantis exemplo magis magisque conformemur; per eumdem D. N. J. Ch. etc. Amen.

12. Oratio pro felice morte impetranda. *)

Moriturum me certo scio. At quando? Ubi? Quomodo? Prorsus ignoro. — Terra sum, et in pulverem et terram convertetur caro mea. — Immortalis sum animo et spiritu; et ibo carne solutus in domum aeternitatis meae. O aeternitatem interminabilem! O mortis ultimum punctum, a quo pendet aeterna aeternitas! — Tu solus vitae meae Dominus et Deus es. Vivere et hodie non recuso; sed vitam nolo, si tibi, et tuis obsequiis vitam meam omnem non impendam. Si me mori vel hodie iubes, mortem non recuso; moriar, ut te videam; moriar tecum, ut in aeternum vivam. Ah fiat in me, de me, circa me,

*) Preces quotidianae Eminentissimi Cardinalis J. B. Ptolemaei S. J.

et circa mea omnia sanctissima voluntas tua in tempore et in aeternitate. — Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Domine, quid me vis facere? Domine, quid me vis pati? Domine, quid me vis fieri? Resignationibus nostris, quaesumus Domine, placare susceptis, et ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Doleo, et toto corde doleo, quod te offenderim Deum meum, quia bonus es, sanctus es, quia amor meus et Deus meus es. — Absorbeat, quaeso Domine, mentem meam ignita ac melliflua vis amoris tui ab omnibus, ab omnibus, ab omnibus, quae sub coelo sunt, ut amore amoris tui vivam, et amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es Deus factus homo vivere, et mori.

Domine Jesu Christe, propter illam amaritudinem mortis, quam pro me sustinuisti in cruce, maxime illa hora, quando nobilissima anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, deprecor te, miserere animae meae egredientis ex corpore, et perduc eam in vitam aeternam. Amen.

Libera nos, Domine, a subitanea, et improvisa morte, — secundum magnam misericordiam tuam.

Libera nos, Domine, morientes a mala morte, — secundum magnam etc.

Libera nos, Domine, morientes ab omni peccato, — secundum magnam etc.

Libera nos, Domine, morientes ab insidiis diaboli,
Libera nos, Domine, morientes ab omni terrore et formidine,
Libera nos, Domine, morientes a diffidentiae et desperationis tentatione,
Libera nos, Domine, morientes a spiritu praesumptionis,
Libera nos, Domine, morientes a cordis duritie,
Libera nos, Domine, morientes ab ira tua,
Libera nos, Domine, morientes a potestate diaboli,
Libera nos, Domine, morientes a poenis inferni,
Libera nos, Domine, morientes ab omni mundi, sanguinis, et carnis illecebra,
Concede nobis, Domine, morientibus susceptionem Sacramentorum,
Concede nobis, Domine, morientibus abundantiam divinae gratiae tuae,
Concede nobis, Domine, morientibus perfectam contritionem,
Concede nobis, Domine, morientibus firmam spem et certissimam fidem,
Concede nobis, Domine, morientibus ardentem caritatem,
Concede nobis, Domine, morientibus patientiam et tolerantiam inter dolores,
Concede nobis, Domine, morientibus

Secundum magnam misericordiam tuam.

fortitudinem contra diabolicos incursus,
Concede nobis, Domine, morientibus perfectam cum tua voluntate conformitatem,
Concede nobis, Domine, morientibus desiderium ardentissimum videndi te, Deum nostrum,
Concede nobis, Domine, morientibus protectionem B. Mariae semper Virginis, Angelorum custodiam, et Sanctorum omnium intercessionem,
Concede nobis, Domine, morientibus sacerdotum orationes et auxilium,

Secundum magnam etc.

Domine Jesu Christi Filii Dei vivi, per sanctam Incarnationem tuam, — parce peccatis nostris, Domine, et salva nos.

Per sanctam Nativitatem tuam,
Per baptismum et sanctum ieiunium tuum,
Per sanctam et laboriosam vitam tuam,
Per famem, sitim, et vigilias tuas,
Per exclamationes et suspiria tua,
Per amarissimas lacrymas tuas,
Per maximos cordis tui pavores et dolores,
Per sanguineum sudorem tuum,
Per manuum tuarum colligationes,
Per opprobria, alapas, et ludibria tua,
Per acerbissimas flagellorum plagas,

Parce peccatis nostris, Domine, et salva nos.

Per spineam coronam tuam,
Per sacratissimas sanguinis effusiones,
Per sanctam Crucem, et Passionem tuam,
Per fel, et acetum a te gustatum,
Per quinque vulnera tua,
Per sanctam agoniam tuam
Per animam tuam sanctissimam in manus Patris commendatam, et pro redemptione mundi a corpore separatam,
Per mortem et sepulturam tuam,
Pater de coelis Deus, — moriatur anima nostra morte iustorum.

Parce peccatis nostris, Domine, et salva nos.

Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Per viscera misericordiae tuae,
Per merita et intercessionem Mariae, Virginis et Matris,
Per intercessionem sanctorum Angelorum et Archangelorum,
Per merita et intercessionem sanctorum Apostolorum et Evangelistarum,
Per merita et intercessionem sanctorum et sanctarum Martyrum,
Per merita et intercessionem sanctorum Pontificum et Confessorum,
Per merita et intercessionem sanctorum Doctorum,

Moriatur anima nostra etc.

Per merita sanctorum Monachorum et Eremitarum, — moriatur etc.

Per merita et intercessionem sanctorum Sacerdotum et Levitarum, — moriatur anima etc.

Per merita et intercessionem sanctarum Virginum et Viduarum, — moriatur etc.

Sancte Michael Archangele, Angeli nostri Custodes, et omnes sancti beatorum Spirituum ordines, et vos beatissimi patroni nostri N. N. defendite nos in proelio, ut non pereamus in tremendo iudicio. Tuque, o Maria, Mater et Virgo, Mater admirabilis, consolatrix afflictorum, et regina Sanctorum omnium, intercede pro nobis, ut spiritus noster absque ulla peccati macula et poenae reatu, mereatur a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam paradisi perduci. Amen. Amen. Amen.

13. Oratio contra superbiam

vide pag. 86.

14. Oratio contra avaritiam

vide pag. 88.

15. Oratio contra iram

vide pag. 90.

16. Oratio contra luxuriam

vide pag. 92.

17. Oratio contra gulam

vide pag. 95.

18. Oratio contra invidiam

vide pag. 96.

19. Oratio contra acediam

vide pag. 98.

20. Oratio pro ecclesia.

O Pater misericordiarum, respice in faciem Christi tui, qui clamore valido et lacrymis interpellat pro sponsa sua ecclesia, matre nostra. — Ecce, Pater, profusus ille corporis sudor, horrendae capitis spinae, calidi fontes oculorum, clavi manuum et pedum, livores et vulnera, et vox sanguinis fratris nostri Jesu Christi clamat ad te de cruce. — Audi, o Pater! ad eius suspiria et gemitus moti sunt coeli, scissi sunt lapides; et tenerrima misericordiae tuae viscera non flectentur? — Protege et defende, Pater clementissime, populum tuum contra hostium ferociam! Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne proiicias in finem! — Custodi omnes, Domine, et conserva, qui te sincero corde et ore confitentur, ne a falsis prophetis, qui veniunt in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces, seducantur; coërce potentiam illorum, machinationes detege, et consilia adversus ecclesiam tuam dissolve! — Da nobis fidelibus tuis, misericors Domine, ut in pace, et tranquillitate ac unione incessanter amemus et laudemus te, ut doctrinam tuam agnoscamus, teque ad mortem usque constanter sequamur. Amen.

21. Oratio s. Francisci Xaverii pro conversione gentium, haereticorum et peccatorum.

Aeterne rerum omnium effector Deus, memento a te animas infidelium procreatas easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento Jesum Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quaeso Domine, ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur, sed precibus sanctorum virorum et ecclesiae, sanctissimae Filii tui sponsae, placatus, recordare misericordiae tuae, et oblitus idololatriae et infidelitatis eorum effice, ut ipsi quoque agnoscant aliquando quem misisti Dominum Jesum Christum, qui est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati ac liberati sumus, cui sit gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

22. Oratio pro variis hominum statibus.

Pietate tua, quaesumus Domine, nostrorum solve vincula delictorum, et nostris assiste maioribus, praesertim ecclesiae tuae summo in terris Pastori ac Episcopis catholicis omnibus, ut gregem christianum sibi concreditum rite pascant, suumque munus fideliter impleant. Fac illos adesse Doctores, qui verbum veritatis recte tractare sciant, velint ac possint, et eos, qui sanae doctrinae contradicunt, redarguere.

— Et quia per te regunt etiam et praesunt reges, principes, aliique politici magistratus, hos prudentia et iustitia redde conspicuos, ut commissum sibi reipublicae clavum rite moderentur, ac de subditis omnibus bene mereantur, potissimum vero, ut catholicam religionem et pacem publicam pio zelo defendant. — Mitte, Domine, in vineam tuam, quae multis adhuc in locis deserta iacet, fidos, strenuos et aptos operarios. Consolare ob catholicae fidei professionem afflictos et exules. — Inprimis autem amicos, benefactores, et familiares nostros a bello, fame, peste aliisque calamitatibus vel publicis vel privatis libera, ut vitam per te quietam et incolumem ducant. Vigeat inter eos caritas christiana, salva sit orthodoxa religio, sectae ac haereses exstinguantur. — Aegroti duce misericordia tua restituantur; in mari periclitantibus, et in carcere vinctis, nec non et in mortis periculo versantibus auxiliare; nec solum vivis, sed etiam defunctis fidelibus salutem tribue sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

23. Oratio pro parentibus et praepositis.

Deus, cuius primum in promissione praeceptum est, „honora patrem tuum et matrem tuam,“ benigne sine dubio excipies suspiria et vota, quae pro parentum meo-

rum et aliorum, qui eorum loco mihi sunt, praepositorum salute, tibi offero. Ipsos, quaeso, tibi commendatos habe, et pro beneficiis, quae te donante in me conferre non desinunt, da iis salutem mentis et corporis, ut inter omnes huius vitae varietates tuo semper protegantur auxilio et digne ambulantes ad gloriam coelestem pervenire mereantur. Doce et conforta eos, ut vitam et mores meos bonis praeceptis imbuant, optimisque exemplis ad virtutem forment; meque ipsum dirige, ne iis, quos mihi praeesse vis, pietatem, reverentiam et obedientiam filialem unquam denegem, sed dignum semper eorum cura et benevolentia me exhibeam, omnisque conversatio mea ita comparata sit, ut solatium, honorem et gaudium multum ipsis afferam. Amen.

24. Oratio ad s. patronum, cuius quis nomen habet.

O sancte N. qui in sacro Baptismatis fonte mihi patronus es datus, in te singularem auxilii spem colloco, deprecorque, ut pedes meos dirigas in viam virtutis, pacis, prosperitatis et salutis aeternae. Bonitate ergo consueta respice me humillime te venerantem, et auxilium tuum implorantem. Adsis mihi, o sancte N. ut quidquid rerum agam, ad maiorem Dei gloriam dirigatur. Protege me contra ten-

tationes inimici, nec permitte, ut tentationibus succumbens maligna delectatione aut consensu peccem, sed impetra, ut tentationibus superatis in virtutibus proficiam; potissimum vero, obsecro, ut adveniente tandem mortis hora auxilio mihi sis, ne obdormiat in morte anima; propterea hoc maxime exopto, ut ultimus cibus meus sit sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ultimae cogitationes meae de amara Domini Jesu Passione et vulneribus, et ultima verba mea: Jesus, Maria, Joseph.

25. Oratio ad s. patronum studiosorum v. g. S. Augustinum, Thomam Aquinatem, Aloysium, B. Joan. Berchmans vel alium similem.

O vir ineffabilis, o virtutum vas admirabile, o diadema honoris et gloriae, o lampas praefulgida, doctrinae radiis ecclesiam universam collustrans, sancte N. quaeso tui servuli quanquam vilissimi recorderis, ut tuis intercessionibus emunder, tuaque gubernatione recto tramite in studiis meis procedam, tuis defensionibus ab inimicis mihi semper insidiantibus protegar, tuoque sancto ductu salutis attingam portum. Per Christum Dominum nostrum.

26. Oratio ad S. Catharinam, patronam studiosorum.

Salve sancta Catharina, virgo benedicta, regis aeterni sponsa; obsecro te, ut, qui-

buscumque necessitatibus et tribulationibus gravatus fuero, levamen et praecipue auxilium in studiis meis, tua apud Deum intercessione accipiam. Insuper precor, o Virgo Deo cara, ut pro me miserrimo peccatore Dominum Deum orare digneris, quo certius mei misereatur, suamque mihi gratiam largiatur, qua carnis illecebras et mundi voluptates possim contemnere omniaque tum animae tum corporis pericula superare atque una tecum aeterno gaudio perfrui; per Dominum nostrum etc.

27. Oratio ad omnes Sanctos.

O felices Sancti Dei omnes, qui iam transiistis huius mortalitatis pelagus et pervenistis ad 'portum perpetuae quietis, securitatis et pacis. Securi et tranquilli estis, semperque festivi atque gaudentes; obsecro vos per vestram erga nos caritatem, qui securi estis de vobis, solliciti estote de nobis; securi de vestra immarcessibili gloria, solliciti estote de nostra multiplici miseria; per ipsum vos rogo, qui vos tales reddidit, de cuius beatissima visione semper gaudetis. Amen.

28. Oratio pro defunctis.

Deus totius consolationis, auctorque salutis nostrae, miserere animarum, quae patiuntur in igne purgante, ipsisque una cum remissione poenarum gratiam concede, quam olim Abrahae promisisti et semini

eius. Moveat te, Domine, fidelitas earum in tuo obsequio, dum viverent exhibita, et obliviscere defectuum, quos ex humana fragilitate contraxerunt. Extrahe illas e loco supplicii et tenebrarum, et deduc eas ad locum tranquillitatis et lucis. Exaudi preces, quas pro ipsis humiliter offero, et iis praecipue hanc gratiam concede, quibus prae ceteris obligatus sum, per eum, eiusque merita, qui pro nobis in cruce satisfacere dignatus est, tecumque vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

MEDITATIONES DE PRAECIPUIS FIDEI VERITATIBUS.

1. De fide.

1. Quidquid fides nos docet, innititur auctoritati verbi divini. Ecclesia ex ore Christi accepit, quae fidelibus credenda proponit. Deviare non potest a vero, qui ducem sequitur ipsam veritatem. Nihil ergo rationabilius, quam rationem fidei subiicere.

2. Quid fides prodest homini christiano, si ab ipso non habeatur pro regula morum? Magna stultitia est, non credere veritati, a Deo revelatae, quam tot Martyres suo sanguine signarunt, tot confirmarunt miracula; at quanto maior dementia, veritatem talis doctrinae agnoscere,

ac confiteri, et nihilominus vivere, ac si non dubitaretur de fidei falsitate? Daemonum fidem habet quem fides christiana non emendat, quique vitam ei non conformat.

3. Fides igitur sit principium mearum actionum, et regula vitae. Quidquid illa condemnat, et ego condemnabo, quantumvis reclamante natura. Opponam in omnibus occasionibus principia Evangelii principiis mundi. Quid dicit mundus? sequendum esse ductum naturae, propriasque inclinationes; nihil adversi tolerandum etc. Quid Christus? quae his e diametro adversantur. Cuius iudicio standum? Christi, an mundi?

Age Deo gratias, quod sis in vera ecclesia, et symbolum Apostolorum distincte ac lente pronuntia velut professionem fidei faciens.

Adauge nobis fidem. *(Luc. 17.)*

Quid prodest, si quis catholice credat, et gentiliter vivat? *(Petr. Dam.)*

2. De fine hominis.

1. Deus solus finis noster ultimus. Non potuit nos creare, nisi propter se. Cor nostrum nos convincit, quod simus conditi propter Deum, nec id negare possumus, nisi nos ipsos fallendo, ac seducendo.

2. Cuilibet dandum, quod ei iure competit. Demus ergo nos Deo, cui nos totos debemus. Si nos ipsi non subiicia-

mus sponte et ex animo velut filii, inviti eidem subiiciemur velut mancipia. Vivendum sub imperio aut bonitatis eius, aut iustitiae. Quamnam partem eligis?

3. Quaelibet res debet tendere ad finem suum, et agere secundum naturam suam. Si sol, factus ad communicandam lucem, eam nobis negaret, nonne foret in mundo, veluti non esset, imo potius monstrum esset naturae? Eadem prorsus ratione nihil inutilius, nihil monstrosius, quam cor, unice factum pro Deo, quod non totum sit Dei. Qualem in hoc me probo? An ut creaturam, quae non est, nisi propter creatorem? An omnes cogitationes meae, omnes actiones ad ipsum referuntur? Ah quam parum facio, quod ausim dicere, unice fieri propter Deum! Ad quid sumus in mundo, si id non agimus, cuius gratia in eo positi sumus?

Excita te ad quaerendum unice Deum, nec quidquam ei subtrahendum, quod illi debetur.

Dominus meus, et Deus meus. *(Joan. 20.)*

Totum te exigit, qui totum te fecit. *(S. Aug.)*

3. De contemptu mundi.

1. Ab eo tempore, quo adhaeremus mundo, quadam ratione desinimus esse homines christiani. Mundus hic profanus, totus addictus honoribus, voluptatibus atque omnibus, quae nutriunt amorem pro-

prium, hostis capitalis est Jesu Christi. Utriusque regulae ac instituta sibi e diametro opponuntur. Ambobus simul servire ac satisfacere non licet, nec fieri potest. Aut uni, aut alteri renunties, necesse est.

2. A mundi partibus stare non possumus, quin violemus promissa in Baptismo data. Renuntiando sathanae eiusque pompis, ad contemnendum, quidquid aestimant mundi clientes, solemni sacramento nos obligavimus; quae perfidia, quale sacrilegium, post haec adorare vanitatem, et praeferre terrena coelestibus?

3. Mundus nihil possidet dignum amore animae immortalis. Ne id quidem habet, unde possit solvere, ac satisfacere suis cultoribus; eius thesauri, oblectationes, honores occupare possunt cor hominis, non satiare nec implere; eius bona reipsa non sunt, nisi vanitates, illusiones, umbrae, imo potius sunt vera mala, cum corrumpant hominem, nec impediant, quominus malus sit; fortuna etiam maxima, non solum vana et fragilis, sed etiam onerosa est, plenaque amaritudine et dolore. Gemitus et suspiria non minus audiuntur in throno, quam inter vincula in ergastulo.

Ora Christum ut spiritum mundi in te destruat viresque tibi donet contemnendi omnem illius pompam ac magnificentiam.

Praeterit figura huius mundi. *(1. Cor. 7.)*

Vae his, qui adhaeserint transeuntibus, quia simul transeunt! *(S. Aug.)*

4. De morte.

1. Homo christianus, christiane non vivens, habet, cur mortem timeat. Quam graves rationes reddendae erunt post vitam ad mundi genium et inter delicias transactam? Quantus dolor de neglectis ac amissis tot occasionibus salutis? Mori in Dei inimicitia, heu quam tristis mors! Quam funestum momentum, quod finit voluptates temporis, et inchoat poenas aeternitatis?

2. Quod in hora mortis vellemus nos antea fecisse, faciamus modo. Nihil temporis negligendum. Quodlibet momentum potest esse vitae ultimum. Quo diutius viximus, eo viciniores sumus sepulchro. Quo diutius dilata fuit mors nostra, eo nobis est propinquior.

3. Quodnam iudicium feremus de bonis huius mundi eo tempore, quo erunt deserenda? Nunc mortem in consilium adhibeamus. Fidelis est, nec nos decipiet. Haec pulchritudo, hoc argentum, haec voluptas, haec dignitas, quid erunt, quove recident? Quale de his iudicium in morte? Dum vivimus, exterior species nos fallit; morientes intuemur omnia, qualia sunt in se. Homo vivens aestimat mundum, moriens spernit. Cui credemus, viventi, an

morienti? O! quam nihil apparebit mundus ad lumen candelae moribundi! sed heu dolor! tunc non iam erit tempus errorem corrigendi.

Attende ad ea, quae maxime timeres, si iam moriendum tibi foret. Ea ipsa nunc compone, tibique consule. Assuesce ita instituere singulas diei actiones, ac si, iis peractis, ad aeternitatem migrandum foret, hocque potissimum observa in usu Sacramentorum.

Uno tantum gradu ego, morsque dividimur. *(1. Reg. 20.)*

Christiano crastinum non est. *(Tertullianus.)*

5. *De extremo iudicio.*

1. Comparere aliquando debebo coram tribunali Jesu Christi, recepturus, prout gessi, bonum vel malum. Nihil solemnius nihil disertius in Evangelio expressum Tam firmiter assentiri et possum et debeo huic fidei articulo, ac si tuba, mortuos e tumulo evocatura, iam auribus meis insonaret.

2. Quid dicemus ad primum conspectum tot malarum cogitationum, perversarum actionum, contemptarum gratiarum? O diem terribilem, diem indignationis et furoris Domini, qua omnia ad abditissimos usque cordis recessus denudabuntur, omnia etiam minutissima momenta, minimaque suspiria ad calculum revocabuntur, nihil dissimu-

labitur, nihil remittetur, nihil relinquetur inultum! Si sancti vix iusti invenientur, quid peccatoribus fiet?

3. Quamnam sententiam exspectet impoenitens peccator ab inexorabili Deo? O terribile decretum: Ite maledicti. At quo ibunt, Domine, infelices illi, quos tua ferit maledictio? In quem mundi angulum se recipient avulsi et relegati a te? Ubi esse poterit habitatio tam funesta! ah in medio igne infernali! Ite maledicti in ignem aeternum. Eheu! exilio a Deo mulctari, aeternum relegari a facie eius, omnibus diris ab eo devoveri, coniici insuper in flammas sempiternas; quam funesta et deploranda haereditas!

Cogita te assistere tribunali Christi; quid eo in statu plus horroris aut pudoris tibi incuteret? Adverte animum diligenter, et recordare peccata tua secretissima toti mundo divulganda esse in die iudicii in confusionem tuam, nisi per poenitentiam fuerint exstincta.

Ante faciem indignationis eius quis stabit? *(Nahum. 1.)*

Vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam! *(S. Aug.)*

6. De inferno.

1. Quem horrorem inferni non conciperemus, si lamentabiles damnatorum eiulatus percipere liceret? suspirant, gemunt, ululant instar belluarum efferatarum me-

dios inter inferni rogos. Accusant, deplorant, detestantur peccata sua, sed sero nimis; lacrymae eorum non serviunt, nisi ad accendendas flammas, quibus semper uruntur, quin unquam consumantur. Heu quam rigorosa damnatorum poenitentia, at simul quam infructuosa!

2. Semper excludi a conspectu Dei, ardere in igne, cuius comparatione hic noster ignis non nisi umbra est, tolerare eodem temporis momento omnia malorum genera sine consolatione et interruptione; semper prae oculis habere tortores infernales, semper in corde rabiem ac desperationem; heu qualis vita!

3. In furorem agit infelices illos cogitatio tot mediorum et occasionum salutis, quae neglexerunt; memoria praeteritae voluptatis tormentum ipsis est nullis verbis exprimendum; prae omnibus tamen eos affligit ac torquet recordatio summi boni propria culpa in aeternum amissi.

Descende mente in infernum. Interroga damnatos, quid eos in hanc abyssum praecipitaverit. Pete, ut statum miseriarum suarum tibi exponant, ab iisque disce timorem Domini et periculum, in quo versaris.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? *(Is. 33.)*

De poena in poenam transeunt, de ardore cupiditatis in flammas gehennarum. *(S. Aug.)*

7. *De aeternitate poenarum inferni.*

1. Iusta Dei indignatio num ultra progredi potest, quam ut brevissimi temporis voluptatem plectat poenis sine fine duraturis? Esse miserum, imo miserrimum, tanto tempore, quanto Deus erit Deus, quam deploranda est calamitas! An satis non est damnatorum mala esse extrema? Num ad cumulum infelicitatis accedere insuper debet eorum aeternitas? Punctura acus malum leve censetur, et tamen si duraret semper nonne malum fieret intolerandum? Quid erit igitur etc.

2. O aeternitas! postquam damnatus tot profuderit lacrymas, (etsi singulis saeculis non funderet nisi unicam), quod sufficerent replendis omnibus fluviis totius mundi, vastissimisque recessibus immensi maris; post tot annorum centena millia non plus proficiet, quam si tunc primum dolores suos inchoaret. Quovis momento sic denuo pati incipiet, quasi nihil hactenus tolerasset; et postquam tot vicibus incepe-rit, quot arenae numerantur in litore maris, atomi in aëre, folia in arboribus, nihil tamen eius debito, nihil rigori divinae iustitiae nihil aeternitati poenarum unquam decedet.

3. Damnati non modo patiuntur tota aeternitate, sed et singulis momentis integram patiuntur aeternitatem. Aeternitas ipsis semper praesens est. Ipsa se infert

ac immiscet omnibus eorum suppliciis. Semper oberrat eorum oculis, animisque obversatur, poenas, quas sentiunt, nullum finem habituras. O crudelem cogitationem! O statum deplorandum! tota aeternitate uri, tota aeternitate lacrymari, tota aeternitate instar canis rabidi furere! utinam ista ea in luce cerneremus, qua vident infelices illae orci victimae!

Elice actum fidei de aeternitate poenarum, quibus divina iustitia vel unicum peccatum mortale plectit. Credere saltem oportet, quod comprehendere non licet. Grande malum homini christiano, nolle aliter convinci de aeternitate infelici, quam propria experientia.

Qui non obediunt Evangelio, poenas dabunt in interitu sempiternas. *(2. Thess. 1.)*

Momentaneum, quod delectat; aeternum, quod cruciat. *(S. Chrys.)*

8. De paradiso.

1. Paradisus! O nomen suave et amabile! qui paradisum dicit, dicit omnis mali exilium, cumulum autem omnium bonorum et gaudiorum, opus et sedem divinae magnificentiae numeris omnibus absolutam, pretium sanguinis Jesu Christi, complementum ac terminum omnium desideriorum cordis humani, et plus aliquid, quam his omnibus exprimi potest.

2. Deum clara in luce videre, et quidem talem, qualis in se est; eum amare sine

mensura, possidere sine timore eum unquam amittendi; esse beatum ipsa Dei beatitudine, haec meta sunt et finis omnium votorum; neque enim maius aliquid optare possumus. Ah non supersunt mihi, nisi pauci dies meae peregrinationis et exilii, et tunc dabitur in aeternum esse cum eo, quem diligit anima mea!

3. Quid refert, quo loco hic simus in terris, modo cum Jesu et Maria in aeternum vivere detur in coelis? An iuste conqueri possumus, quod felicitas infinita et immensa aliquo labore nobis constet? Martyres coelum sibi emerunt pretio sanguinis sui, credentes nihilominus, ob magnitudinem doni gratis et pro nihilo sibi illud obvenire. O beata aeternitas! utinam nossent homines, quanti valeas!

Excita in te vehemens desiderium videndi Deum, et terram coeli comparatione ceu rem nihili intuere, tuoque amore et aestimatione indignam. Si paradisi felicitatem, prout meretur, agnosceres, nihil in mundo aestimares, nihil timeres.

Satiabor, cum apparuerit gloria tua. *(Ps. 16.)*

Si labor terret, merces invitet. *(S. Bern.)*

9. De praesentia Dei.

1. Deus hoc ipso momento haud aliter me intuetur, ac si solus essem in mundo, vel potius est in me, velut oculus infinite perspicax, qui me observat, quemque nihil

effugere potest. Eodem intuitu me videt, quo comprehendit semetipsum, tamque viva applicatione divini intellectus, ac si desineret se ipsum contemplari, ad me penitius inspiciendum, et profunda cordis mei rimanda.

2. Maiori mihi probro est, quod peccata mea obiiciantur oculis Dei, quam si exposita forent conspectui totius mundi. Auderesne facere coram famulo, quod facere non erubescis praesente rege regum? Quanta caecitas, tantopere vereri conspectum hominum, tam parum vereri oculos Dei!

3. Nullae noctis tenebrae tam spissae sunt, ut ipsi lumini, Deo scilicet, nos occultare possint. Solitudines utcumque inaccessae, et ab arbitris remotae, repletae sunt maiestate divina. Frustra petis secretum frustra declinas oculos hominum; Deus ubique tibi occurrit.

Constitue te in praesentia Dei, et attende numquid in te deprehendas, quod offendere possit oculos eius. Stude, ut assuescas memoriae praesentis Dei!

Nullum efficacius contra peccatum remedium est hac cogitatione: Deus me intuetur. Non opus est alio retrahente, quantumcumque passio est violenta.

Omnia nuda et aperta sunt oculis eius. *(Hebr. 4.)*

Si peccare vis, quaere ubi te non videat Deus; et fac, quod vis. *(S. Aug.)*

10. De cura salutis.

1. Negotium salutis proprie negotium hominis est, cetera nihili facienda. Molitiones et consilia principum, tectae aulicorum artes, bella, negotiationes etc. non tam occupationes sunt, quam nugae pueriles. Negotium maximum et unicum est servire Deo, et salvare animam suam. Omne bonum, omnis perfectio, omnis felicitas hominis in hoc negotio consistit. Desipit, nec homo est, qui negligit negotium hoc momenti et sequelae gravissimae, cuius simul eventus incertissimus, infelix autem exitus iactura numquam est reparanda. Quae caecitas, quanta dementia, non cogitare, nisi de vita, nec cogitare de bona vita; tantopere studere augendae fortunae, tam parum promovendae saluti? Quae utilitas, si mundum universum lucreris, et animae tuae detrimentum patiaris?

2. Omnes creaturae ad salutem nostram conditae sunt; superfluae et inutiles redduntur, si iis non utamur ad hunc finem. Quando itaque homo desinit laborare pro salute sua, sol non deberet amplius ei lucere, nec coeli cursum suum tenere, terra non producere fructus, nec Angeli eius custodiae invigilare, imo ipse merito in nihilum suum recideret; indignus enim est

vita, qui non vivit pro Deo, eiusque gloria.

3. Interim pars maxima hominum nihil minus cogitat, quam salutem suam. De omnibus, praeterquam de salute nostra, solliciti sumus. Lucrum in rebus omnibus quaerimus; si habemus argentum, foenori exponitur; si agrum, colitur, ut utilitatem praestet; si praedium, annuum vectigal augetur. Deploramus omnem iacturam, ea excepta, quae sine remedio est. Sumptus ingentes in corpus profunduntur, nihil animae impenditur. Spectata ratione vitae nostrae, videri posset anima nostra ad nos minime pertinere; aut non alio fine nobis concessa, nisi ut eam perdamus.

Firmissime statue, quovis impendio salvare animam tuam, et sequere sensa Benedicti XII. qui, cum petiisset ab eo rex quispiam rem iniquam, scite respondit: non esse sibi nisi unicam animam, quam cuperet salvam; sacrificaturum ceteroqui unam in principis gratiam, si plures haberet.

Porro unum est necessarium. *(Luc. 10.)* Ubi salutis damnum est, illic utique iam lucrum nullum est. *(S. Euchar.)*

11. De horrore peccati.

1. Iactura Dei, heu qualis iactura! Infelicitatem nostram accusamus, si facultates nostrae nostra vel aliorum culpa, lite, debitorum perfidia aliove sinistro casu detrimentum accipiant. Quid igitur erit,

perdere bonum infinitum? Infelix anima, quae Deum peccando amittit! at multo infelicior, quae iacturam tam immensam nihili facit!

2. O peccatum, quam frequens es inter homines, at quam pauci te agnoscunt! iocando, aut liberalius genio indulgendo se reddere Deo exosum, et scopum divinae vindictae ac maledictionis, quam is funestus lusus, quam fatalis oblectatio! Deus, etsi totus amor, odio infinito prosequitur peccatorem; paululum aliquem odisse, est ei velle paululum mali; ad mortem odisse, est ei velle mortem; odisse infinite, est aliquid, quod intellectus assequi non potest. Quid timebimus, si tremendum hoc Dei odium non timeamus?

3. Terribilis scena est, quae exhibetur in monte Calvariae; et nihilominus status animae, Dei gratia privatae, plus horroris habet, quam spectaculum Dei in cruce morientis. Christus non moritur, nisi ad destruendum peccatum; peccatum proinde magis horret, quam ipsam mortem, quam ultro eligit ad illud abolendum.

Concipe sincerum dolorem de peccatis tuis. Ex omnibus iacturis sola deploranda iactura gratiae, cum ea sola sit, cui lacrymae possint prodesse.

Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? *(Rom. 6.)*

Vae animae audaci, quae speravit, si a

te recessisset, se aliquid melius habituram! *(S. Aug.)*

12. De poenitentia.

1. Poenitentiam agite, et Evangelio credite, dicit Salvator noster; duo illa coniungit, ut ostendat, rigorem poenitentiae inseparabilem esse a professione christiana. Ipse fuit toto vitae suae cursu Deus poenitens, totus occupatus, ut satisfaceret pro delictis nostris, et placaret iustitiam Patris sui coelestis. Nonne conveniens est, ut ad exemplum eius simus homines poenitentes?

2. Necessarium omnino est, ut peccatum plectatur; vel ab eo, qui illud admisit, vel per illum, contra quem admissum fuit. Si peccatores in se ipsos non animadvertant in tempore, iustitia divina eos ad rigorem castigabit tota aeternitate. Scelera, quae deleta non fuerint lacrymis poenitentiae, punientur flammis gehennae. An non praestat flere aliquot diebus, quam ardere omnibus saeculis?

3. Ut cum Deo perfecte reconcilieris, non satis est, quod te prosternas ad pedes sacerdotis, cineres capiti inspergas, aut cilitio lumbos praecingas; si non habes sincerum de peccatis dolorem, si non renuntias toto corde huic pravo amori, huic usurae ac iniusto lucro, impostor es, non poenitens. Preces, eleemosynae, ieiunia,

omnesque carnis afflictationes non sunt nisi exterior facies, odium vero peccati ipsa est anima, ipsa substantia poenitentiae christianae.

Pete a Deo veniam, quod hucusque vitam duxeris tam contrariam legi ac doctrinae Evangelii, simulque gratiam deinceps vivendi ad normam primorum christianorum in continuo exercitio severae poenitentiae.

Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. *(Luc. 13.)*

Poenitentibus dico: quid prodest, quia humiliamini, si non mutamini? *(S. Aug.)*

13. De non differenda conversione.

1. Nimium differo me totum dare Deo. Videor quaerere, ut effugiam amplexus eius. An igitur malum est, totum esse Dei? An infamia est abrumpere vitam infamem? An possumus iusto citius amare bonitatem infinite amabilem? Cras, cras; quare non hodie, cur non hac hora? An crastina catenae et vincula mea facilius rumpentur? An cor minus durum erit? Nequaquam. Tempus, omnia ceteroqui debilitans, roborat pravos habitus. Differendo remedia nonne vulnus fiet insanabile?

2. Quid impedit, quominus sequamur vocem nos invitantem ad poenitentiam? Quid timorem nobis iniicit, aut nos retrahit? Difficile est, mutare vitam; fateor: verum, quid non convenit facere chri-

stiano, qui adorat Deum pro se crucifixum, speratque paradisum? Quod abusus fueris, et etiamnum abutaris gratiis divinis id enimvero est, quod iustam timoris causam tibi suppeditat.

3. Differre in futurum — quae temeritas? Num futurum in mea potestate est? An fundus est, cuius ego sum dominus? Deus me exspectat; id verum, teste scriptura; at haec nullibi definit tempus vitae meae, quotque dies, aut anni mihi supersint. Qui veniam promisit poenitenti, crastinum non promisit peccanti. Forte indulgebitur mihi tempus; sed forte etiam non concedetur. Nonne a mente discesserit necesse est, qui salutem fundat in incerto?

Reflecte, quamdiu restiteris Deo, distulerisque te ei tradere, et contremisce ad gravitatem periculi, in quo versaris.

Dixi, nunc coepi. *(Psalm. 79.)*

Nulla satis magna securitas, ubi periclitatur aeternitas. *(S. Gregor.)*

14. De respectu humano.

1. Garrit mundus; sine, garriat, quae volet. Sermones stulti num impedire debent, quominus tu sapias? At, quid dicent homines? dicent, te Deum plus vereri, quam homines. Maxime dyscoli te aestimabunt in corde, sibique tacite dicent, iuxta rationem te agere. Et quid

demum refert, quid de te loquantur homines; dummodo impleas, quae muneris tui sunt, Deoque satisfacias?

2. Quae animi ignavia, erubescere Evangelium? Honori nobis ducimus, gestare insignia principis; et pudebit gestare insignia Christi? Opifices vilissimi non verentur, palam profiteri artem suam, quantumvis ignobilem! et christiani in ecclesia nolint videri christiani? Qui erubuerit Christum coram hominibus, illum quoque Christus erubescet coram Patre suo coelesti!

3. Et quid, num Jesus Christus, omnium adoratione dignissimus, habet quidquam ignominiosi? An nomen eius infame? num probrum est, sequi vestigia eius? Non pudet te, esse impudicum et blasphemum, imo gloriaris nonnumquam de malitia tua; et ignominiae tibi duces, omni virtute ornatum ac probum esse? Quidquid interim dicat mundus, ille optimus et honestissimus est, qui Deo fidelissime servit, et vel maxime profitetur, se illi servire.

Te ipsum interoga, an spectrum hoc timore te non percellat, nec impediat, quominus satisfacias omnibus, ad quae fides christiana te obstringit.

Non erubesco Evangelium. *(Rom. 1.)*

Quid times fronti tuae, quam signo crucis armasti? *(S. Aug.)*

15. De agnitione propriae infirmitatis.

1. Nihil habet homo, quod timeat, praeter se ipsum. Propria infirmitas maiorem illi timorem incutere debet, quam omnis potentia inferni. Verbum unicum, unicum suspirium, unus intuitus sufficiunt ad eum vincendum. Lapsus est Adam, Salomon Dei oblitus fuit, Petrus Christum negavit; quid fiet arundini, si levis flatus cedros evertat?

2. Homo saepissime victus fuit, quin ab hoste externo impeteretur. Passiones, sensus nostri quavis hora contra nos conspirant. Proprium cor nostrum periculosissimus hostis noster est. Quos persecutio prosternere non potuit, hi in ipsa solitudine nonnumquam corruerunt, devictis tyrannis et daemonibus, a suis victi cupiditatibus. Noli nimium tibi blandiri, tuisque viribus fidere.

3. Maximos Sanctos sola cogitatio status animae suae in oculis Dei tremere fecit. Audivimus anachoretas et poenitentes suspirantes in hora mortis ex recordatione terribilium decretorum iustitiae divinae, eo quod ignorarent, quales essent, et quales evadere possent. Momentum temporis sufficit, ut ex sancto reprobus fias.

Dic cum S. Philippo Nerio: „Domine, hodie velim tibi a me caveas; proditor tuus ero, si me mihi relinquas.“ Praevide occasiones, et cogita eas omnium periculosissimas esse, in quibus nihil periculi apprehendis.

Qui se existimat stare, videat, ne cadat. *(1. Cor. 10.)*

Quamvis sis in tuto, noli esse securus. *(S. Bern.)*

16. De usu gratiarum.

1. Nulla nec minima quidem gratia nobis datur, quae non sit acquisita pretio sanguinis Jesu Christi, quamque nobis suis ad Patrem precibus, cum in cruce animam ageret, non impetrarit. Negligere piam cogitationem, e coelo nobis immissam, suffocare inspirationem, ad bonum nos invitantem, es pedibus conculcare sanguinem Christi, et inutilem reddere fructum et meritum mortis eius.

2. Sumus obstricti Deo, non solum pro gratiis acceptis, sed et pro iis, quas nobis daturus fuisset, nisi obicem illis posuissemus. Si sole splendente valvas occludamus, non minus debemus eius lumini, quam si obice remoto radiis eius collustrati fuissemus; in nostro arbitrio positum erat, eius beneficio frui.

3. Forte per decem et plures annos tibi Deus inspirat, ad quod perficiendum animus hucusque defecit. Tamdiu haerere in schola Spiritus sancti, et nihil discere; sollicitari toties, reprehendi, minis terreri, et nihil agere, quamnam excusationem meretur? Meminerimus, Deum esse creditorem, cuius iuri nihil unquam

decedere potest improbitate debitoris; et siquidem ad tempus solutionem non urgeat, nihilominus praefinita die debitum ingenti cum foenore exacturum.

Gratias age Spiritui sancto pro omnibus gratiis tibi concessis; veniam pete, quod sanctis eius inspirationibus morem non gesseris: audi, quid tibi nunc loquatur, et time, ne si voci eius non obedieris, ad extremum te deserat.

Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo. *(Luc. 12.)*

Gratiam sequitur iudicium. *(S. Basil.)*

17. De usu temporis.

1. Inter maximas mundi corruptelas iure numerandus est neglectus temporis. Vita nostra tam angustis terminis circumscripta est, omnia illius momenta tam pretiosa sunt et nihilominus vivimus, ac si vita nostra finem nullum esset habitura, aut nihil in ea nobis agendum foret.

2. O si damnato vel unicum momentum illius temporis concederetur, quod ego tam leviter dissipo, quomodo illud impenderet! Quovis momento vitae meae lucrari possum aeternitatem beatam. Nullam occasionem, animum relaxandi, aut facultates nostras augendi praeterlabi sinimus; et quavis hora perdimus occasionem, nos salvandi!

3. Non ea dies optime transacta censeri debet, qua res nostras, et commoda

maxime promovimus; sed qua plus meriti collegimus, quaeque Deo prae reliquis accepta fuit. Ita age, ut quacumque hora interrogareris: quid agis? respondere possis: laboro pro Deo et pro salute mea.

Renova proposita, Deo bene et fideliter serviendi, et firmissime animo tuo imprime, omne tempus perditum esse, quod Deo non impenditur.

Nemini dedit spatium peccandi. *(Eccles. 5.)*

Vacat tibi, ut philosophus sis; non vacat, ut christianus sis! *(S. Paulin.)*

18. De usu Sacramentorum.

1. Sacramenta canales sunt, in nos derivantes sanguinem et merita Jesu Christi: sunt fontes ac scaturigines gratiarum maxime necessariarum ad nostram salutem. Si iis abutimur, merita Christi inutilia salutemque nobis reddimus impossibilem.

2. Abuti Sacramentis, est impedire eorum effectum ob malam dispositionem, qua ad ea acceditur. Tot Confessiones, et exigua vel nulla morum emendatio; frequens sumptio Carnis et Sanguinis Christi, et vita nihilominus mollis semper ac deliciis immersa, quanta materia timoris! Christianus, vel semel digne suscipiens Eucharistiam inde trahit vires sufficientes, ad vitam inter carnificum manus pro fide finiendam; quo nos devenimus?

3. Quod horrore nos perfundere et exa-

nimare deberet, illud imprimis est, quod, dum sine sincero de peccatis dolore epulo Eucharistico vescimur, iudicium nobis manducemus, teste Apostolo, propriamque damnationem. Quid fiet nobis, quando reparanda erit iniuria, illata sanguini Jesu Christi per indignam et sacrilegam susceptionem toties violato ac profanato?

Examina, quos defectus admittas in tuis Confessionibus ac Communionibus, et imitare animam quandam sanctam, quae ea semper animi dispositione ad Sacramenta accedebat, veluti ab eorum susceptione statim e corpore migrandum sibi fuisset.

Probet se ipsum homo. *(1. Cor. 2.)*

Sunt christiani mali, qui vocantur fideles, et non sunt; in quibus Sacramenta Christi patiuntur iniuriam. *(S. Aug.)*

19. De sacrificio Missae.

1. Sacrificium altaris repraesentatio est et renovatio sacrificii crucis. Quotidie igitur fit in ecclesiis nostris quod factum est semel in monte Calvariae. Nullum obsequium Deo gratius, quam assistere divino huic sacrificio. Ut intersim pie ac more christiano, intentio mea coniungenda intentioni sacerdotis, cum eoque aeterno Patri sacrificandus unigenitus Filius, vel potius cor meum iungendum cordi Christi, ad utrumque simul Deo offerendum.

2. Singulis horis Deum offendimus, nec peccata nostra minus merentur, quam poenas infinitas. Qua ratione pro tantis de-

bitis satisfaciemus divinae iustitiae, nisi ipsi offeramus aerumnas Christi Domini, ut per has illae diluantur, quas ipsi commeriti sumus. Omnis rigor poenitentium, omnia tormenta Martyrum, omnes miserorum calamitates non sufficiunt vel minimo ex debitis nostris exstinguendo sine sacrificio crucis, cuius merita nobis applicantur per Missae sacrificium.

3. Deus tot et tam enormes hominum iniurias certe non toleraret, nisi in medio profligati ac dissoluti mundi cerneret Filium suum, hostiam incruentam sibi in ara offerri. Aspectus tam innocentis, sibique carae victimae retinet manus eius, in vindictam protensas. Dum nostra peccata clamant iustitiam, sanguis Christi clamat misericordiam. Adoremus Filium Dei, hac ratione pro nobis oblatum, et frequenter accedamus ad altare, nostra ipsi obsequia delaturi. Quanta et ipsi et nobis ignominia quod plerumque adoratorem nullum in ecclesia inveniat, aulaque eius sit deserta, dum aulae principum servis et ministris redundant.

Statue, qualibet die audire sacrum illique assistere ea devotione, quam meretur tam augustum sacrificium. Hunc in finem ecclesiam sic adi, uti adires montem Calvariae ad assistendum Christo morienti.

In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. *(Malach. 1.)*

Tunc vere pro nobis hostia erit Deo, cum nosmetipsos hostiam feceremus. *(S. Gregor.)*

20. De eleemosyna.

1. Quantopere devincti sumus Christo, quod nobis occasionem dederit sibi benefaciendi, substituendo pro se pauperes? ipse est in Eucharistia, ut nostram admittat adorationem, nobisque sit in spirituale alimentum; ipse pariter est in pauperibus, ut ad commiserationem nos moveat, et a nobis pascatur, ac nutriatur. Beatus homo, qui Christo Domino stipem erogat; infelix, qui negat. Cibum porrigis cani tuo, et Christum sines fame emori; quae iniustitia? quae crudelitas?

2. Quod Magnatibus donatur, plerumque fere perditum est; quod Deo, nunquam amittitur. Omnia reddit cum foenore; vel haustum aquae frigidae large ac liberaliter compensat. Lusus, luxus, vitaeque intemperantia innumeras familias evertit; eleemosyna nullam unquam ad famem reiecit aut miseram reddidit. Si vis nosse artem augendi bona tua, benefac inde pauperibus.

3. Iudicabitur homo die iudicii ad normam et mensuram, quam tenuit in dandis eleemosynis. Quid respondebunt tot perversi divites, quando pauperes eos accusabunt, ipseque Salvator his verbis ipsis

exprobrabit duritiem suam: Ite, maledicti in ignem aeternum: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere; nudus eram, et non cooperuistis me, etc. Cor in pauperes durum, cor reprobi est, uti anima benefica, et in pauperes liberalis, anima est praedestinati. Quid iudex noster contra nos afferre poterit, cum se coopertum vestibus nostris, panemque et argentum nostrum in manibus suis videbit? Non est, quod timeamus coram tribunali divinae iustitiae, si pauperes pro causa nostra perorent.

Expende, quem erga pauperes animum geras; an ut membra Christi eos habeas, iisque, prout teneris, succuras ac benefacias?

Foeneratur Domino, qui miseretur pauperis. *(Prov. 19.)*

Date omnibus, ne, cui non dederitis, ipse sit Christus. *(S. Aug.)*

21. De dando bono exemplo.

1. Exempla mala plures animas damnarunt, quam omnes Sancti unquam salvarunt. Si inferni ianuae reserarentur, aegre vel unicum damnatum invenires, qui non diceret: is, aut iste fuit causa meae ruinae. Heu qualis exprobratio! Iubemur amare ipsos usque adeo inimicos; cur ergo in perniciem agimus animas, a quibus nihil unquam mali passi sumus? Quantum

timeat saluti suae, qui perdidit animas Christi sanguine redemptas? Quid sperare a Christo poterit, qui ei surripuit, quod ei tanti constitit?

2. O patres matresque familias, quorum vita minus christiana, imo christiano nomini probrosa est! praestaret utique, liberos vestros nunquam fuisse, quam a vobis natos esse. Non donastis ipsis vitam, nisi ut donaretis mortem, et quidem aeternam. Si die iudicii repetant a vobis animas suas, ac felicitatem, qua culpa vestra exciderunt, quid respondebitis?

3. Induamus Jesum Christum, ut monet Apostolus; spiret in nobis eius spiritus, eius agendi ratio et norma vivendi, eius virtutes; ut qui nos intuetur, Christi meminerit. Non minus conferimus ad salutem fratrum nostrorum vita exemplari, quam vita scandalosa ad eorum damnationem.

Attende, an nihil facias, quod proximo tuo sit offendiculo, et pete veniam a Deo de peccatis alienis, quorum causa extitisti. Nonne sufficiunt tibi peccata propria, ut etiam alienis conscientiam oneres?

Vae homini, per quem scandalum venit! *(Matth. 18.)*

Pro tantis reus, quantos secum traxerit in reatum. *(Salvian.)*

22. De tolerantia adversorum.

1. Non sumus christiani, ut abundemus divitiis et vivamus genio nostro; eum in finem opus non erat professione christiana; illud enim, ut obtineretur, suffecisset, mundum eo in statu relinquere, in quo erat, sub imperio scilicet suarum opinionum et passionum. Vita christiana vita mortificata et crucifixa est. Qui non amat crucem, fidei renuntiet oportet.

2. Quid dicit Evangelium? Beati qui lugent: vae divitibus, qui hic habent consolationem suam! en loquelam Spiritus sancti: at videri ea nunc posset barbara, solumque intelligi in Corea et Japonia, ubi fideles currunt ad Martyrium, articulus autem de tolerantia adversitatum ex Evangelio Europae eradendus. Num credimus, felicitatem consistere in luctu et lacrymis, ac divitiarum amantes re ipsa esse infelices? Hi nihilominus sunt articuli fidei, quibus ut assentiaris, non minus ad salutem est necessarium, quam ut assentiaris mysterio Trinitatis vel Incarnationis.

3. Necesse erat, Dei Filium mori in cruce, ut ita intraret in gloriam suam. Omnes Sancti per viam crucis coelum subierunt; an volumus, ut, quod tanti constitit Filio Dei, omnibusque Sanctis, sine labore, sine pretio nobis obveniat? Crux haereditas ac nota est praedestinatorum. Anima nihil adversi sustinens, ac malo-

rum impatiens characterem portat reproborum. Aut hic, aut in altera vita patiendum est.

Adora Christum crucifixum, et pete ab eo gratiam, ut nunc in partem voceris dolorum eius, sicque merearis, particeps aliquando fieri eiusdem gloriae.

Qui non baiulat crucem suam, non est me dignus. *(Luc. 14.)*

Pudeat sub spinoso capite membrum fieri delicatum. *(S. Bern.)*

23. De conformitate cum voluntate divina.

1. Maxima felicitas creaturae rationalis est, idem velle, quod vult Deus. In hoc proprie consistit vera sanctitas. Sancti hoc solo titulo Sancti sunt, quod eorum voluntas perfecte consentiat divinae. Quamcumque virtutem possides, illa si destituaris, virtute praeditus vere dici non potes.

2. Anima non contenta divina voluntate, sibi suo modo arrogat auctoritatem divinam. Velle, ut quae Deus disponit, aut permittit in hoc mundo, alium cursum teneant, est velle, ne Deus sit supremus arbiter ac Dominus. Quidquid nobis accidit, ex eius placito ac praescripto fit; nonne iustum est, ut, quod sapientia infinita decernit, tu ratum habeas?

3. Nihil ex eius voluntate mihi evenit,

quod non sit in meum commodum et bonum. Et si ipse cultrum arriperet ad collum mihi incidendum, certus tamen forem, quod cor eius plenum amore manum duceret ac dirigeret. Quid est, quod timeam a corde mei studiosissimo? Nolo igitur aliud, quam quod ipse vult. Non est, cur querar de frigore aut calore, de iactura, aut infirmitate, etc. Omnia ista et nomen et naturam exuunt, dum transeunt per manus Dei. Quae mundus appellat tempus infestum, casum adversum, calamitatem etc. si considerentur, prout a divina providentia eveniunt ac ordinantur, commodum, felicitas, coeli favor nuncupanda sunt.

Renuntia propriae voluntati, Deumque roga, ut eius in te voluntas perficiatur.

Ita Pater, quia sic fuit placitum ante te. *(Matth. 11.)*

Ille placet Deo, cui placet Deus. *(S. Aug.)*

24. De fiducia in Deum.

1. Confidimus valetudinem nostram medico, lites advocato, vitam nostram, si oculis capti simus, infanti, et nonnumquam cani; et difficile nobis sit, divinae providentiae nos tradere regendos?

2. Oculus et cura divinae providentiae usque ad formicas et culices se extendit; quid timeant animae ad imaginem Dei crea-

tae, ac Christi sanguine redemptae? Deus nutrit infideles, qui ipsum non agnoscunt; gratiis cumulat impios, qui nomen eius blasphemant; quid non faciet christianis, qui honore et amore eum prosequuntur?

3. Commoda nostra melius locata sunt in manibus eius, quam in nostris; sinamus ipsum agere, quod agit; Pater noster, simul et mater est. Suavitas amoris, quo fertur in filios, cogit ipsum, ut eorum curam habeat; promisit nobis protectionem suam; non fallet fidem datam. Coelum et terra citius peribunt, quam sinat perire iustum in se confidentem.

Examina cor tuum, et vide, an habeas fiduciam, dignam bonitate divina et meritis Jesu Christi.

Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meae. *(Psalm. 30.)*

Proiice te in eum, non se subtrahet, ut cadas. *(S. Aug.)*

25. De amore Dei.

1. Sic Deus nos dilexit, ut etiam Filium suum unigenitum pro nobis daret. Si quid carius, aut melius habuisset, illud utique nobis donasset; an tali, tantoque pretio non satis caro emit amorem nostrum? Bonitas, etiam mediocris, iure exigit sui amorem; cur ergo non amares bonitatem infinitam? An, quia infinita, minus amabilis est, minusve digna tuo amore?

2. Deus praecipit sui amorem; mandatum de amanda bonitate infinite amabili num censeri potest nimis grave ac rigorosum? Vult, ut ames toto corde; an nimium est, si cor tam parvum et exile amet Deum tam magnum et immensum? Verum, qui vult totum, nihil excipit; quamcumque partem donaveris, nisi dones totum, non donabis satis.

3. Non refugerent daemones, ad extremum iudicii diem tolerare inferni supplicia pro obtinenda gratia amoris divini, nullusque damnatorum est, qui felicem se non crederet, si post plurium saeculorum cruciatus acerbissimos vel unicum amoris actum elicere posset. Tu potes amare Deum, dummodo velis, et quidem citra ullum laborem ac molestiam; illud non facere, cum possis, malum est inferno gravius.

Abdica amorem omnem, solo Dei amore excepto, et conare, quantum potes, ut eum ames super omnia.

Si caritatem non habuero, nihil sum. *(1. Cor. 3.)*

Si amare pigebat, redamare non pigeat. *(S. Aug.)*

26. De amore Jesu Christi.

1. Nihil unquam tanti constitit, quanti anima mea; pretium illius vita Christi, Filii Dei. Infernum merebar; daemon

omnesque creaturae clamabant vindictam meorum scelerum; Christus Dominus solam audiit vocem cordis sui, instantis pro venia et gratia; misertus est mei, ultimamque guttam sanguinis sui dedit pro me redimendo; unde si non essem Dei, qua Creatoris, Christi totus essem, utpote Redemptoris. Minimum, quod ipsi debeo, est, ut gratus agnoscam beneficia mihi praestita. Si non reddam vitam pro vita, saltem reddere debeo amorem pro amore.

2. Cani proiicio ossa mihi inutilia; pro modico hoc me amat, mihi blanditur, me custodit; Christus mihi donat suam gratiam, suum sanguinem, sua merita, omnem thesaurum suum; et ego velut sensus expers non moveor! Disce, disce anima ingrata et inhumana a bruto, quid te facere oporteat. Canis tuus magister tuus est simul et iudex. Si eius exemplum cor tuum non immutet, ipsis brutis magis brutus es.

3. Cor nostrum tam tenerum est erga amicos; tantopere animum nostrum commovent bona officia, quae nobis praestant; solusne Christus Dominus sit scopus ingrati animi nostri, durissimique cordis? Quis amicorum nostrorum pro nobis crucifixus fuit?

Ab ipso Christo amorem eius supplex pete; absque eiusdem gratia amare eum non possumus.

Si quis non amat Dominum Jesum, sit anathema. *(1. Cor. 6.)*

Si totum me debeo pro me facto, quid reddam pro refecto, et refecto hoc modo? *(S. Bern.)*

27. De amore proximi.

1. Anima proximum suum non diligens, dicere cum veritate nequit, se diligere Deum. Quaecumque bona opera facias, si non amas fratres tuos, nihil facis. Ipsa vita pro fide immolata sine caritate Deo abominabilis est.

2. Hoc est mandatum meum, dicebat Christus, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos; si in hominibus aliud non esset amore dignum, nonne hoc unum, quod fuerint Christo amati, me satis obligaret ad eos toto corde amandos. Illiberalis admodum essem in amando, si difficile mihi foret amare eum, quem Salvator meus plus, quam semetipsum amavit.

3. An amo omnes homines, sicut Christus me amavit, id est, ea caritate, ut paratus sim, et facultates, et vitam pro ipsis profundere? O quam rarus hic pietatis sensus inter christianos! et nihilominus haec ipsa fuit Christi caritas, eorumque omnium, qui cum veritate christiani nomen sustinuerunt.

Excita in te affectum dilectionis erga eos, quos Christus tam tenere amavit, et firmiter statue eorum

salutem promovere, ac nihil unquam admittere caritati proximi contrarium.

Qui diligit proximum, legem implevit. *(Rom. 13.)*

Dilectio sola discernit inter filios Dei, et filios diaboli. *(S. Aug.)*

28. De dilectione inimicorum.

1. Christianae professioni caritas adeo est propria, ut ne inimicos quidem excludat, imo nos obliget, ad eos amandos. De hac caritate mandatum habemus a Christo: num difficile nobis sit, illi obedire? Deus mortem suis tortoribus condonat; et nos non possemus remittere leves iniurias, a fratribus nobis illatas?

2. Ne exspectet misericordiam, qui aliis veniam negat. Deus nobis dimittit, sicut aliis dimittimus. Christianus vindictam quaerens quoties orationem dominicam recitat, toties suo se ore condemnat. Itaque aut amare debemus inimicos nostros, aut odisse nosmetipsos.

3. Christiani, mutuo se odio insectantes, videri possent, non esse eiusdem religionis; qui enim fieri possit, ut homines, se invicem non ferentes, ad idem accedant altare, eodem coelesti cibo pascantur, eundem credant paradisum, seque simul aeternum victuros confidant? Neminem praeter daemones odisse licet, et ad solos damnatos pertinet, mutuis in se odiis fla-

grare. Nullum signum damnationis evidentius, quam nolle veniam indulgere. Anima hoc charactere notata, notam gerit manifestam reprobationis.

Discute coram imagine Crucifixi cor tuum, et explora, utrum in eo lateat occultum in proximos odium, et in vulneribus Christi quaere genuinum spiritum christianae caritatis.

Qui odit fratrem suum, homicida est. *(1. Joan. 3.)*

Vindicari vis christianus? nondum vindicatus est Christus. *(S. Aug.)*

29. De imitatione Christi.

1. Primus homo se perdidit, similitudinem Dei affectando; eiusdem posteri salvari nequeunt, nisi Filio Dei se conformando. Factus est Christus exemplar nostrum, cum carnem nostram assumpsit: nos imago et ectypon eius simus necesse est. Ipse est caput praedestinatorum; reprobus est, qui ipsum in se non refert ac moribus exprimit.

2. In mores et ritus mundi magno studio inquirimus, eosque servare studemus; quoties quisque in vitam Christi animum intendit? Aulici vivendi formam ex principe petunt; philosophi discipulos habuere instituti tam tenaces, ut etiam naturales magistrorum suorum defectus imitarentur; an ego unquam Christum serio imitari studui? Quanta mea ignominia, ne pas-

sum quidem promovisse in eius imitatione? Quantum ipsius opprobrium, quod praecedat, nec inveniat, qui sequantur!

3. Quid dicam die iudicii, quando ectypon cum archetypo conferetur? quando opponetur vita mea vitae Christi, superbia mea eius humilitati, mollities mea eius vulneribus, impotens iracundia mea eius mansuetudini? etc. O quale monstrum, christianus sine nota christiani; Baptismo initiatus, et mancipium diaboli: sub vexillo crucis militans, et amator ac patronus carnis et mundi! Necesse igitur est, ut aut renuntiem Baptismo, aut vitam conformem Christo. Christianorum institutum si rite describitur, non est, nisi imitatio vitae et mortis Christi.

Vide, utrum in te deprehendas lineamentum aliquod Filii Dei, et utrum attenta vitae tuae ratione discipulis Jesu Christi accenseri merearis.

Magister, sequar te, quocumque ieris. *(Matth. 8.)*

Sine causa sum christianus, si Christum non sequar. *(S. Bern.)*

30. De devotione erga Beatissimam Virginem.

1. Jure cor mihi evellitur, si durum sit erga Matrem Domini. Cor ipsam non amans indignum est, quod quidquam amet. Nequit Deus formare puram creaturam excellentiorem dignitate ac proinde amabiliorem, mihique meliorem; quam ergo

aestimationem, quem amorem, quam fiduciam illi non debeo?

2. Si qua culpa, meoque malo omnis mea devotio interiret, hanc erga Matrem Domini conservabo usque ad mortem; quantacumque fuerit morum meorum perversitas, recurram a Matrem gratiae pro obtinenda per eius intercessionem vitae, morumque conversione. Si pede infernum iam contigerim, in coeli Regina confidam. Nemo inter Mariae brachia perire potest.

3. Ad thronum eius maximi peccatores appellant, suamque causam eius clementiae deferunt. Divinae iustitiae secure opponere possumus misericordiam benignissimae huius Matris; gloriae sibi ducit, si possit benefacere, et in parte felicitatis suae numerat, peccatoribus maxime induratis obtinere veniam et gratiam; quid igitur non faciet fidelibus servis suis? Mater misericordiae et optima Mater mea, poteritne velle subscribere sententiae damnationis meae? Ah! sumus in possessione bonitatis illius iam a mille octingentis annis, et ultra: an iam incipiet sibi non constare, ut fallat spem nostram? Maxima iniuria, quam illi irrogare possumus, maximumque malum nostrum est, si eius opem amplius non invocemus, eiusque bonitati diffidamus.

Quando desinam servire Mariae, me inter perditos numerabo.

Te totum de novo consecra servitio huius sanctissimae Virginis, et dic illi intimo cordis affectu:

Dominare nostri tu, et filius tuus. *(Jud. 8.)*

Maria. O nomen, sub quo nemini desperandum! *(S. Aug.)*

31. De fervore in servitio divino.

1. Habeamus tantum zeli pro Deo, quantum habet pro nobis; tanto cum fervore incumbamus saluti nostrae, quanto cum ardore pro ea laborat Deus. Quidquid ille extra se operatur, in unius animae nostrae perfectionem operatur; omnia desideria misericordiae eo unice collimant. Quanta causa confusionis pro anima tepida?

2. Si attendatur tepor noster, videri posset Deus non mereri servitium nostrum, eiusque praemia nullius esse momenti, aut valoris. Quo loco haberes dominum illum, cui famuli negligenter et absque affectu serviunt? Ignominia Deum afficimus, quoties oscitanter et perfunctorie ea peragimus, quae a nobis requirit. Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.

3. Opus vel minimum, pro Dei honore susceptum, multo pluris valet, omnibus heroum ac victorum facinoribus. Si tantopere nos iactemus, ac gloriae nobis vertamus, quod strenuo laboremus pro vani-

tate; quid facere non conveniret, cum laboramus pro aeternitate! Eheu! servi diaboli nulli operae parcunt, nulla difficultate terrentur, numquam queruntur, quidquid laboris aut molestiae perferunt: an minor habenda ratio Jesu Christi, quam diaboli? num minoris valet paradisus, quam infernus? ah! infernus erit posthac schola mea. Amare Deum eo modo, quo damnati illum oderunt; servire Deo eo studio, quo servitur mundo et daemoni, an plus iusto est?

Examina, qua ratione Deo servias; attende, quibus in actionibus sis negligentior; teque ipsum excita ad eas deinceps peragendas ea ratione, quae digna sit Domino, cui servis.

Spiritu ferventes, Domino servientes. *(Rom. 12.)*

Quales, impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi. *(S. Aug.)*

HYMNI ET CANTICA.

1. PRO TEMPORE ADVENTUS.

I.

1. En clara vox redarguit * Obscura quaeque personans, * Procul fugentur somnia: * Ab alto Jesus promicat.

2. Mens iam resurgat torpida, * Non amplius iacens humi: * Sidus refulget iam novum, * Ut tollat omne noxium.

3. En Agnus ad

nos mittitur * Laxare gratis debitum * Omnes simul cum lacrymis * Precemur indulgentiam:

4. Ut cum secundo fulserit, * Metuque mundum cinxerit, * Non pro reatu puniat, * Sed nos pius tunc protegat.

5. Virtus, honor, laus, gloria * Deo Patri cum Filio, * Sancto simul Paraclito, * In saeculorum saecula. Amen.

2.

1. Creator alme siderum, * Aeterna lux credentium, * Jesu Redemptor omnium, * Intende votis supplicum.

2. Qui daemonis ne fraudibus * Periret orbis, impetu * Amoris actus, languidi * Mundi medela factus es.

3. Commune qui mundi nefas * Ut expiares, ad crucem * E Virginis sacrario * Intacta prodis victima.

4. Cuius potestas gloriae, * Nomenque cum primum sonat; * Et coelites et inferi * Tremente curvantur genu.

5. Te deprecamur ultimae * Magnum diei iudicem, * Armis supernae gratiae * Defende nos ab hostibus.

6. Virtus, honor, laus, gloria * Deo Patri cum Filio, * Sancto simul Paraclito, * In saeculorum saecula. Amen.

3.

1. Veni, veni, Emanuel, * Captivum solve Israel, * Qui gemit in exilio * Privatus Dei Filio * :,: Gaude, gaude, Emanuel * Nascetur pro te, Israel.:,:

2. Veni, o Jesse virgula, * Tuos ab hostis ungula, * Tuos de specu tartari * Educ

et antro barathri * :,: Gaude, gaude etc. :,:

3. Veni, veni o oriens * Solare nos adveniens * Noctis depelle nebulas * Dirasque noctis tenebras, * :,: Gaude, gaude etc. :,:

4. Veni clavis Davidica, * Regna reclude coelica, * Fac iter tutum superum * Et claude vias inferum * :,: Gaude, gaude etc. :,:

5. Veni, veni Adonai; * Qui populo in Sinai * Legem dedisti vertice, * In maiestate gloriae. * :,: Gaude, gaude etc. :,:

2. PRO FESTO NATIVITATIS D. N. J. CHRISTI

4.

1. Puer natus in Bethlehem, * Unde gaudet Jerusalem. * Alleluia, Alleluia, Alleluia.

2. Hic iacet in praesepio * Qui regnat sine termino; etc.

4. Cognovit bos et asinus, * Quod erat puer Dominus; etc.

4. Reges de Saba veniunt * Aurum thus, myrrham offerunt; etc.

5. Intrantes domum invicem, * Novum salutant principem; etc.

6. De matre natus Virgine, * Sine serpentis vulnere, etc.

7. In carne nobis similis, * Peccato sed dissimilis, etc.

8. Ut redderet nos homines * Deo et sibi similes, etc.

9. In hoc natali gaudio, * Benedicamus Domino etc.

20. Gloria tibi, Domine, * Qui natus es de Virgine etc.

11. Laudetur sancta Trinitas, * Deo dicamus gratias, etc.

5.

1. Cor meum tibi dedo, * Jesu dulcissime * En cor pro corde cedo, * Jesu carissime, * Tu corda solus expetis, * Tu sola corda diligis. * Ah amem te, * Ut ames me, Jesu suavissime.

2. Quid reddam caritati, * Quod homo factus es? * Cor inquis, praebe, fili mi * En cedo cor, o Jesu mi, * Ah amem te, * Ut ames me, * Jesu dulcissime.

3. Cor tuum est apertum * Ut intrem libere * Ut cordi cor insertum * condatur intime * Ah Jesu mi, amoris vi * Dedisti te, ut darem me. * Ah amem te, * Ut ames me * Jesu carissime.

4. Hic cordis firmamentum, * Hic tuta quies est, * Amoris fulcimentum, * Hic certa salus est, * In petrae hoc foramine, * In cordis hac macerie, * Hic muniar, * Hic uniar, * Jesu fortissime.

5. Hic cordis nutrimentum * Hic cibus dulcis est * Tu corda solus animas, * Tu sola corda satias, * Hic satiar, * Hic nutriar, * Jesu dulcissime.

6. Cor meum dum torquebunt, * Mortis angustiae, * Et novae remordebunt * Mentem praeteritae, * Securo pro refugio, * Certoque pro remedio * Cor mihi tuum porrige. * Jesu carissime.

6.

1. Altitudo! quid hic iaces * In tam vili stabulo, * Qui creasti coeli faces, * Alges in praesepio: * O quam mira perpetrasti, * Jesu, propter hominem: *

Tam ardenter, quem amasti * Paradiso exulem * :,: Paradiso exulem. :,:

2. Fortitudo infirmatur, * Parva fit immensitas, * Laboratur, alligatur, * Nascitur aeternitas. * O quam mira etc.

3. Premis ubera labellis, * Sed intactae virginis, * Ploras uvidis ocellis! * Coelum replens gaudiis. * O quam mira etc.

7.

1. Huc ad regem pastorum, * Pastores currite; * Huc ad regem amantum, * Amantes pergite; * Laeta arundine * canamus socii, * Festivo carmine * Pastorum principi.

2. En ut Pastor supremus * Ceu Agnus pascitur, * En ut Deus aeternus * Ceu puer nascitur: * Agnum tenellulum * Pastores canite * Deum puellulum * Pastores psallite.

3. Agnum novum pastori * Pastores pascite, * Novo flores amori * Amantes carpite; * Si hiems rigida * Flores exterminat, * Spelunca frigida * Florem progerminat.

4. O beati natales! * Queis vita moritur * O beati mortales: Queis mors emoritur, — Quem non haec rapiant — Coeli spectacula; * Quem non haec rapiant * Terrae miracula.

8.

1. Jesu dulcis memoria * Dans vera cordi gaudia: * Sed super mel et omnia * Eius dulcis praesentia.

2. Nil canitur suavius, * Nil auditur iucundius, * Nil cogitatur dulcius, * Quam Jesus Dei filius.

3. Jesu spes poe-

nitentibus, * Quam pius es petentibus! * Quam bonus te quaerentibus! * Sed quid invenientibus?

4. Jesu dulcedo cordium, * Fons vivus, lumen mentium, * Excedens omne gaudium, * Et omne desiderium.

5. Nec lingua valet dicere, * Nec littera exprimere: * Expertus potest credere, * Quid sit Jesum diligere.

6. Jesum quaeram in lectulo, * Clauso cordis cubiculo: * Privatim et in publico * Quaeram amore sedulo.

7. Cum Maria diluculo * Jesum quaeram in tumulo, * Clamoris cordis querulo, * Mente quaeram, non oculo.

8. Tumbam perfundam fletibus, * Locum replens gemitibus; * Jesu provolvar pedibus, * Strictis haerens amplexibus.

9. Jesu rex admirabilis: * Et triumphator nobilis * Dulcedo ineffabilis, * Totus desiderabilis.

10. Mane nobiscum Domine, * Et nos illustra lumine, * Pulsa mentis caligine, * Mundum replens dulcedine.

11. Quando cor nostrum visitas, * Tunc lucet ei veritas, * Mundi vilescit vanitas Et intus fervet caritas.

12. Amor Jesu dulcissimus * Et vere suavissimus * Plus millies gratissimus, * Quam dicere sufficimus.

13. Hoc probat eius passio, * Hoc Sanguinis effusio, * Per quam nobis redemptio * Datur et Dei visio.

14. Jesum omnes agnoscite, * Amorem

eius poscite, * Jesum ardentes quaerite, * Quaerendo inardescite.

15. Sic amantem diligite, * Amoris vicem reddite, * In hunc odorem currite, * Et vota votis reddite.

16. Jesus auctor clementiae, * Totius spes laetitiae, * Dulcoris fons et gratiae * Verae cordis deliciae.

17. Jesu mi bone, sentiam * Amoris tui copiam, * Da mihi per praesentiam * Tuam videre gloriam.

18. Quum digne loqui nequeam * De te, tamen ne sileam: * Amor facit, ut audeam * Cum de te solum gaudeam.

19. Tua, Jesu, dilectio, * Grata mentis refectio, * Replens sine fastidio * Dans famem desiderio.

20. Qui te gustant esuriunt: * Qui bibunt, adhuc sitiunt: * Desiderare nesciunt * Nisi Jesum, quem diligunt.

21. Quem tuus amor ebriat, * Novit quid Jesus sapiat, * Quam felix est, quem satiat. * Non est ultra, quod cupiat.

22. Jesu, decus Angelicum, * In aure dulce canticum, * In ore mel mirificum, * In corde nectar coelicum.

23. Desidero te millies, * Mi Jesu, quando venies? * Me laetum quando facies? * Me de te quando saties?

24. Amor tuus continuus * Mihi languor assiduus, * Mihi fructus mellifluus * Est et vitae perpetuus.

25. Jesu summa benignitas, * Mira cordis iucunditas, * Incomprehensa bonitas,

* Tua me stringat caritas.

26. Bonum mihi diligere * Jesum, nil ultra quaerere, * Mihi prorsus deficere, * Ut illi queam vivere.

27. O Jesu mi dulcissime, * Spes suspirantis animae, * Te quaerunt piae lacrymae, * Te clamor mentis intimae.

28. Quocumque loco fuero, * Mecum Jesum desidero: * Quam laetus, cum invenero! * Quam felix, cum tenuero!

29. Tunc amplexus, tunc oscula * Quae vincunt mellis pocula, * Tunc felix Christi copula, * Sed in his parva morula.

30. Iam quod quaesivi, video: * Quod concupivi, teneo: * Amore Jesu langueo, * Et corde totus ardeo.

31. Jesus cum sic diligitur, * Hic amor non exstinguitur: * Non tepescit, nec moritur: * Plus crescit et accenditur.

32. Hic amor ardet iugiter, * Dulcescit mirabiliter, * Sapit delectabiliter, * Delectat et feliciter.

33. Hic amor missus coelitus * Haeret mihi medullitus, * Mentem incendit penitus, * Hoc delectatur spiritus.

34. O beatum incendium, * Et ardens desiderium! * O dulce refrigerium, * Amare Dei Filum!

35. Jesu, flos matris virginis, * Amor nostrae dulcedinis, * Tibi laus, honor numinis, * Regnum beatitudinis.

36. Veni, veni, Rex optime, * Pater immensae gloriae, * Affulge menti clarius * Iam exspectatus saepius.

37. Jesu sole serenior, * Et balsamo suavior, * Omni dulcore dulcior, * Prae cunctis amabilior.

38. Cuius gustus sic afficit, * Cuius odor sic reficit, * In quo mea mens deficit, * Solus amanti sufficit.

39. Tu mentis delectatio, * Amoris consummatio; * Tu mea gloriatio, * Jesu mundi salvatio.

40. Mi dilecte revertere, * Consors paternae dexterae: * Hostem vicisti prospere, * Iam coeli regno fruere.

41. Sequar te, quo quo ieris, * Mihi tolli non poteris, * Cum meum cor abstuleris, * Jesu laus nostri generis.

42. Coeli cives occurrite, * Portas vestras attollite, * Triumphatori dicite: * Ave Jesu, Rex inclyte.

43. Rex virtutum, rex gloriae, * Rex insignis victoriae, * Jesu largitor veniae, * Honor coelestis patriae.

44. Tu fons misericordiae, * Tu verae lumen patriae: * Pelle nubem tristitiae, * Dans nobis lucem gloriae.

45. Te coeli chorus praedicat, * Et tuas laudes replicat: * Jesus orbem laetificat, * Et nos Deo pacificat.

46. Jesus in pace imperat, * Quae omnem sensum superat, * Hanc mea mens desiderat, * Et ea frui properat.

47. Jesus ad patrem rediit, * Coeleste regnum subiit: * Cor meum a me transiit, * Post Jesum simul abiit.

48. Quem prose-

quamur laudibus, * Votis, hymnis et precibus; * Ut nos donet coelestibus, * Cum ipso frui sedibus. Amen.

3. PRO TEMPORE QUADRAGESIMAE ET PASSIONIS.

9.

1. Audi benigne Conditor, * Nostras preces cum fletibus, * In hoc sacro ieiunio * Fusas quadragenario.

2. Scrutator alme cordium, * Infirma tu scis virium: * Ad te reversis exhibe * Remissionis gratiam.

3. Multum quidem peccavimus, * Sed parce confitentibus: * Ad nominis laudem tui * Confer medelam languidis.

4. Concede nostrum conteri * Corpus per abstinentiam: * Culpae ut relinquant pabulum * Ieiuna corda criminum.

5. Praesta beata Trinitas, * Concede simplex Unitas: * Ut fructuosa sint tuis * Ieiuniorum munera. Amen.

10.

1. O populе mi! quid merui? * In quo te contristavi? * Nonne quibus debui, * Bonis te ornavi?

2. Dic, qua in re offendi te * Quomodovis, abunde * Emendabo, quod in me * Displicet, responde.

3. Cur odio tam impio * Ut hostem me invadis, * Crucis cur supplicio * Me necandum tradis?

4. Te condidi et nihili * Te ex abysso duxi * Vitam tibi contuli, * Mente te instruxi.

5. Tu impio iudicio * Me morte condem-

nasti, * Hoste tu cum stygio * In me conspirasti.

6. Tot sidera hac dextera * In tuos usus feci, * Plantas tot et pecora * Haec tibi subieci.

7. Te liberum ac Dominum * Cunctorum procreavi, * Mundum in palatium * Tibi fabricavi.

8. Tu pauculis argenteis * Me hosti vendidisti, * et ut scurram aetheris * Regem prodidisti.

9. Tu fustibus et ensibus * Armatus ad me venis * Et seu furem funibus * Ligas et catenis.

10. Ut unicum te filium * In sinu meo fovi * Semper tuum commodum * Sedulo promovi.

11. In scommatis et colaphis * Hanc curam rependisti * Probrisque me pluribus * Captum affecisti.

12. Te variis scientiis * Prae brutis exornavi, * Te et ipsis Angelis * Prope exaequavi.

13. Ut stolido et fatuo * Tu mihi illusisti, * Tu latroni impio * Me posthabuisti.

14. O populo mi, an merui * Horrende sic tractari, * Et tam miserabili * Modo trucidari?

15. Ah propere convertere * Peccata detestare; * Quare te vis perdere * Cum queas salvari?

II.

1. Ite moesti cordis luctus, * Tristes ite gemitus, * Lacrymarum ite fluctus * Et ciete fremitus! * Corpus totum, os et genae, * Oculorum lumina, * Membra, sanguis, cor et venae * Abeant in flumina.

2. Nam aeterni Natus Patris, * Veri proles Numinis, * Idem homo natus Matris, * Illibatae Virginis: * Post immanes cruciatus, * Scommatis affligitur: * Diris flagris laniatur, * In crucem configitur.

3. Caput spinis cruentatur, * Flagris livent brachia, * Vultus sputis defoedatur, * Caesa tument labia: * Sacrae manus perforantur, Artus hiant vulnere, * Clavis pedes terebrantur, * Corpus tumet ulcere.

4. Jesu nostra qui portare * Voluisti vulnera, * Qui dignatus es sanare * Nostri cordis ulcera, * Dona nobis, hoc precamur, * His in terris gratiam, * Ut post mortem consequamur * Sempiternam gloriam.

12.

1. Vexilla Regis prodeunt: * Fulget Crucis mysterium, * Qua vita mortem pertulit * Et morte vitam protulit.

2. Quae vulnerata lanceae * Mucrone diro, criminum * Ut nos lavaret sordibus, * Manavit unda et sanguine.

3. Impleta sunt, quae concinit * David fideli carmine, * Dicendo nationibus: * Regnavit a ligno Deus.

4. Arbor decora, et fulgida, * Ornata Regis purpura, * Electa digno stipite * Tam sancta membra tangere.

5. Beata cuius brachiis * Pretium pependit saeculi, * Statera facta corporis, * Tulitque praedam tartari.

6. O Crux, ave, spes unica, * Hoc Passionis tempore * Piis adauge gratiam: * Reisque dele crimina.

7. Te fons salutis Trinitas, * Collaudet omnis spiritus: * Quibus crucis victoriam * Largiris, adde praemium. Amen.

13.

1. Pange, lingua, gloriosi * Lauream certaminis, * Et super crucis trophaeo * Dic triumphum nobilem: * Qualiter Redemptor orbis * Immolatus vicerit.

2. De parentis protoplasti * Fraude Factor condolens, * Quando pomi noxialis * In necem morsu ruit. * Ipse lignum tunc notavit, * Damna ligni ut solveret.

3. Hoc opus nostrae salutis * Ordo depoposcerat: * Multiformis proditoris * Ars ut artem falleret * Et medelam ferret inde, * Hostis unde laeserat.

4. Quando venit ergo, sacri * Plenitudo temporis, * Missus est ab arce Patris * Natus, orbis Conditor: * Atque ventre virginali * Carne amictus produit.

5. Vagit infans inter arcta * Conditus praesepia: * Membra pannis involuta * Virgo Mater alligat, * Et Dei manus pedesque * Stricta cingit fascia.

6. Sempiterna sit beatae * Trinitati gloria, * Aequa Patri Filioque, * Par decus Paraclito: * Unius Trinique nomen * Laudet universitas. Amen.

4. PRO PASCHATE ET TEMPORE PASCHALI.

14.

1. Victimae paschali laudes immolent Christiani.

2. Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.

3. Mors et vita duello conflixere mirando; Dux vitae mortuus, regnat vivus.

4. Dic nobis Maria, quid vidisti in via?

5. Sepulchrum Christi viventis, et gloriam vidi resurgentis.

6. Angelicos testes, sudarium et vestes.

7. Surrexit Christus spes mea: praecedet vos in Galilaeam.

8. Scimus Christum surrexisse a mortuis vere: Tu nobis victor Rex miserere. Amen. Alleluia.

15.

1. Ad regias Agni dapes, * Stolis amicti candidis, * Post transitum maris rubri, * Christo canamus Principi.

2. Divina cuius caritas * Sacrum propinat sanguinem, * Almique membra corporis * Amor sacerdos immolat.

3. Sparsum cruorem postibus * Vastator horret Angelus, * Fugitque divisum mare, * Merguntur hostes fluctibus.

4. Iam Pascha nostrum Christus est, * Paschalis idem victima, * Et pura puris mentibus * Sinceritatis azyma.

5. O vera coeli Victima, * Subiecta cui sunt tartara, * Soluta mortis vincula, * Recepta vitae praemia,

6. Victor subactis inferis * Trophaea Christus explicat * Coeloque aperto, subditum, * Regem tenebrarum trahit.

7. Ut sis perenne mentibus * Paschale Jesu gaudium, * A morte dira criminum Vitae renatos libera.

8. Deo Patri sit gloria, * Et Filio, qui

a mortuis * Surrexit, ac Paraclito, * In sempiterna saecula. Amen.

16.

1. Pone luctum Magdalena! * Et serena lacrymas; * Non iam est Simonis coena, * Non cur fletum exprimas * Causae mille sunt laetandi, * Causae mille exsultandi, * Alleluia resonet.

2. Sume risum Magdalena, * Frons nitescet lucida: * Demigravit omnis poena, * Lux revertit fulgida: * Christus mundum liberavit * Et de morte triumphavit. * Alleluia resonet.

3. Gaude, plaude Magdalena, * E sepulchro rediit, * Tristis est peracta scena, * Tumba Christus exiit, * Quem deflebas morientem, * Nunc arride resurgentem, * Alleluia resonet.

4. Tolle vultum Magdalena, * Redivivum aspice * Vide frons quam sit amoena, * Quinque plagas inspice, * Fulgent, en, ut margaritae, * Ornamenta novae vitae. * Alleluia resonet.

5. Vive, vive Magdalena, * Lux tua reversa est, * Gaudiis turgescat vena * Mortis vis eversa est, * Moesti procul sint dolores, * Laeti redeant amores. Alleluia resonet.

5. PRO FESTO PENTECOSTES.

17.

1. Veni Creator Spiritus, * Mentes tuorum visita, * Imple superna gratia, * Quae tu creasti pectora.

2. Qui diceris Paraclitus * Altissimi donum Dei, * Fons vivus, ignis, caritas, * Et spiritalis unctio.

3. Tu septiformis

munere, * Digitus paternae dexterae, * Tu rite promissum Patris, * Sermone ditans guttura.

4. Accende lumen sensibus, * Infunde amorem cordibus, * Infirma nostri corporis, * Virtute firmans perpeti.

5. Hostem repellas longius, * Pacemque dones protinus, * Ductore sic te praevio, * Vitemus omne noxium.

6. Per te sciamus da, Patrem * Noscamus atque Filium: * Teque utriusque Spiritum * Credamus omni tempore.

7. Deo Patri sit gloria, * Et Filio, qui a mortuis * Surrexit, ac Paraclito, * In saeculorum saecula.

Amen.

18.

1. Veni, sancte Spiritus, * Et emitte coelitus * Lucis tuae radium.

2. Veni, pater pauperum; * Veni, dator munerum; * Veni, lumen cordium.

3. Consolator optime, * Dulcis hospes animae, * Dulce refrigerium.

4. In labore requies, * In aestu temperies, * In fletu solatium.

5. O lux beatissima, * Reple cordis intima * Tuorum fidelium.

6. Sine tuo numine, * Nihil est in homine, * Nihil est innoxium.

7. Lava quod est sordidum, * Riga quod est aridum, * Sana quod est saucium.

8. Flecte quod est rigidum, * Fove quod est frigidum, * Rege quod est devium.

9. Da tuis fidelibus, * In te confiden-

tibus, * Sacrum septenarium.

10. Da virtutis meritum, * Da salutis exitum, * Da perenne gaudium. Amen. Allel.

6. PRO FESTO SS. TRINITATIS.

19.

1. O adoranda Deitas, * In unitate Trinitas: * Deus Pater et Filius, * Et Spiritus Paraclitus.

2. Te sine fine celebrant, * Timent adorant, praedicant * Coelestia, terrestria, * Et tota mundi machina.

3. A Deo Patre Filius * Gignitur unigenitus. * Uterque sanctum Spiritum, * Spirat aequalem Dominum.

4. Nil prius aut posterius, * Nil maius hic aut sanctius: * Una tribus substantia, * Aequalis est et gloria.

5. Tu finis et principium, * Rerumque factor omnium, * Tu solus es ens entium, * Et certa spes credentium.

6. Tu totus es amabilis, * Et totus delectabilis, * Pius, iustus, terribilis: * Quis tibi Deus similis.

7. Tu cuncta solus efficis, * Cunctisque solus sufficis, * Tu solus merces hominum, * Et magnum nimis praemium.

8. Tuae misericordiae * Semper agendae gratiae, * Tibi servire iugiter * Nos decet et alacriter.

9. Qui coelum, terras, omnia * Immensa reples gratia; * Tu nostrum cor inebria * Amoris tui copia.

10. Laus Patri sit ingenito, * Laus eius Unigenito, * Laus sancto sit Spiritui * Trino, Deoque simplici.

7. DE AUGUSTISSIMO SACRAMENTO.

20.

1. Lauda, Sion, Salvatorem, * Lauda ducem et pastorem, * In hymnis et canticis.

2. Quantum potes, tantum aude, * Quia maior omni laude, * Nec laudare sufficis.

3. Laudis thema specialis, * Panis vivus et vitalis * Hodie proponitur.

4. Quem in sacrae mensa coenae * Turbae fratrum duodenae * Datum non ambigitur.

5. Sit laus plena, sit sonora, * Sit iucunda, sit decora * Mentis iubilatio.

6. Dies enim solemnis agitur * In qua mensae prima, * Recolitur huius institutio.

7. In hac mensa novi regis * Novum Pascha novae legis * Phase vetus terminat.

8. Vetustatem novitas, * Umbram fugat veritas, * Noctem lux eliminat.

9. Quod in coena Christus gessit, * Faciendum hoc expressit * In sui memoriam.

10. Docti sacris institutis, * Panem vinum in salutis * Consecramus hostiam.

11. Dogma datur Christianis, * Quod in carnem transit panis, * Et vinum in sanguinem.

12. Quod non capis, quod non vides, * Animosa firmat fides, * Praeter rerum ordinem.

13. Sub diversis speciebus, * Signis tantum et non rebus, * Latent res eximiae.

14. Caro cibus, Sanguis potus, * Manet tamen Christus totus * Sub utraque specie.

15. A sumente non concisus, * Non confractus, non divisus, * Integer accipitur.

16. Sumit unus, sumunt mille, * Quantum isti, tantum ille, * Nec sumptus consumitur.

17. Sumunt boni, sumunt mali, * Sorte tamen inaequali, * Vitae vel interitus.

18. Mors est malis, vita bonis; * Vide paris sumptionis * Quam sit dispar exitus.

19. Fracto demum Sacramento, * Ne vacilles, sed memento, * Tantum esse sub fragmento, * Quantum toto tegitur.

20. Nulla rei fit scissura, * Signi tantum fit fractura, * Qua nec status nec statura * Signati minuitur.

21. Ecce panis Angelorum, * Factus cibus viatorum, * Vere panis filiorum, * Non mittendus canibus.

22. In figuris praesignatur, * Cum Isaac immolatur, * Agnus Paschae deputatur, * Datur manna patribus.

23. Bone Pastor, panis vere, * Jesu, nostri miserere, * Tu nos pasce, nos tuere, * Tu nos bona fac videre * In terra viventium!

24. Tu, qui cuncta scis et vales, * Qui nos pascis hic mortales, * Tuos ibi commensales, * Cohaeredes et sodales * Fac sanctorum civium! Amen. Alleluia.

21.

1. Pange, lingua, gloriosi * Corporis mysterium. * Sanguinisque pretiosi, * Quem in mundi pretium * Fructus ventris generosi, * Rex effudit gentium.

2. Nobis datus, nobis natus * Ex intacta virgine, * Et in mundo conversatus, * Sparso verbi semine, * Sui moras incolatus * Miro clausit ordine.

3. In supremae nocte coenae * Recumbens cum fratribus, * Observata lege plene * Cibis in legalibus, * Cibum turbae duodenae * Se dat suis manibus.

4. Verbum caro panem verum * Verbo carnem efficit, * Fitque sanguis Christi merum; * Etsi sensus deficit, * Ad firmandum cor sincerum * Sola fides sufficit.

5. Tantum ergo Sacramentum * Veneremur cernui, * Et antiquum documentum * Novo cedat ritui; * Praestet fides supplementum Sensuum defectui.

6. Genitori, Genitoque * Laus et iubilatio, * Salus, honor, virtus quoque * Sit et benedictio; * Procedenti ab utroque * Compar sit laudatio. Amen.

22.

1. Sacris solemniis iuncta sint gaudia, * Et ex praecordiis sonent praeconia, * Recedant vetera, nova sint omnia, * Corda, voces, et opera.

2. Noctis recolitur coena novissima, * Qua Christus creditur agnum et azyma * Dedisse fratribus, uxta legitima * Priscis indulta patribus.

3. Post agnum typicum, expletis epulis, * Corpus Dominicum datum discipulis, * Sic totum omnibus, quod totum singulis, * Eius fatemur manibus.

4. Dedit fragilibus corporis ferculum, *

Dedit et tristibus sanguinis poculum, * Dicens: Accipite quod trado vasculum, * Omnes ex eo bibite.

5. Sic sacrificium istud instituit, * Cuius officium committi voluit * Solis presbyteris, quibus sic congruit, * Ut sumant, et dent ceteris.

6. Panis Angelicus fit panis hominum; * Dat panis coelicus figuris terminum: * O res mirabilis, manducat Dominum * Pauper servus et humilis.

7. Te trina Deitas unaque poscimus, * Sic nos tu visita, sicut te colimus: * Per tuas semitas * duc nos quo tendimus, * Ad lucem, quam inhabitas. Amen.

23.

1. Verbum supernum prodiens. * Nec Patris linquens dexteram, * Ad opus suum exiens, * Venit ad vitae vesperam.

2. In mortem a discipulo * Suis tradendus aemulis; * Prius in vitae ferculo * Se tradidit discipulis.

3. Quibus sub bina specie * Carnem dedit et sanguinem, * Ut duplicis substantiae * Totum cibaret hominem.

4. Se nascens dedit socium, * Convescens in edulium; * Se moriens in pretium, * Se regnans dat in praemium.

5. O salutaris Hostia! * Quae coeli pandis ostium, * Bella premunt hostilia, * Da robur, fer auxilium.

6. Uni trinoque Domino * Sit sempiterna gloria, * Qui vitam sine termino * Nobis donet in patria. Amen.

24.

1. Salutis humanae sator * Jesu voluptas

cordium, * Orbis redempti conditor * Et casta lux amantium.

2. Qua victus es clementia * Ut nostra ferres crimina? * Mortem subires innocens * A morte nos ut tolleres?

3. Perrumpis infernum chaos, * Victis catenas detrahis * Victor triumpho nobili * Ad dexteram Patris sedes.

4. Te cogat indulgentia * Ut damna nostra sarcias * Tuique vultus compotes * Dites beato lumine.

5. Tu dux ad astra, et semita, * Sis meta nostris cordibus, * Sis lacrymarum gaudium * Sis dulce vitae praemium. Amen.

25.

1. Aeterne Rex altissime, * Redemptor et fidelium, * Cui mors perempta detulit * Summae triumphum gloriae.

2. Ascendis orbes siderum, * Quo te vocabat coelitus * Collata non humanitus * Rerum potestas omnium.

3. Ut trina rerum machina, * Coelestium, terrestrium. * Et inferorum condita, * Flectat genu iam subdita.

4. Tremunt videntes Angeli, * Versam vicem mortalium, * Peccat caro, mundat caro, * Regnat Deus Dei caro.

5. Sis ipse nostrum gaudium, * Manens olympo praemium, * Mundi regis qui fabricam, * Mundana vincens gaudia.

6. Hinc te precantes quaesumus, * Ignosce culpis omnibus, * Et corda sursum subleva * Ad te superna gratia.

7. Ut cum repente coeperis * Clarere nube iudicis, * Poenas repellas debitas, * Reddas coronas perditas.

8. Jesu, tibi sit gloria, * Qui victor in coelum redis, * Cum Patre et almo Spiritu, * In sempiterna saecula. Amen.

26.

Ave verum corpus natum * Ex Maria Virgine. * Vere passum immolatum * In cruce pro homine, * Cuius latus perforatum * Fluxit unda et sanguine, * Esto nobis praegustatum, * Mortis in examine * O clemens, * o pie, * o dulcis Jesu, * Fili Mariae, miserere nobis.

27.

1. Cor Jesu, cor purissimum, * Cor ara sanctitatis! * Cor meum purga sordidum, * Infectum tot peccatis.

2. Qui movet tibi vomitum, * Auferto hinc teporem, * Infunde novum spiritum, * Et spiritus fervorem:

3. Cor mite, cor humillimum, * Cor plenum bonitatis, * Cor tuo da simillimum, * Da ignem caritatis.

4. Sed quid? Si vel Seraphico * Amore cor flagraret, * Non tamen hoc incendio, * Non satis te amaret.

5. Ut ergo te diligere, * Cor Jesu, possim satis, * Immensum da, quo amas me, * Ardorem caritatis.

6. Hoc, hoc amoris iaculo, * Cor meum accendatur, * Et huius ab incendio, * In cineres solvatur.

7. O mors exoptatissima, * Sic mori,

vi amoris! * Amoris sit cor victima, * Pro corde Redemptoris.

8. Amore tui moriar, * Cor Jesu, amor meus, * Ut novo corde ordiar * Amare te, o Deus! Amen.

8. DE B. MARIA VIRGINE.

28.

1. Alma coelestium * Regina civium, * Parens terrestrium, * Maria salve! * Vita credentium, * Mater viventium, * Spes poenitentium, * Maria salve!

2. Altis singultibus * Ad te pro viribus * Adami soboles * Clamamus: Salve! * Hoc pressi mentibus, * Perfusi fletibus, * Clamamus exules: * Maria salve!

3. Hoc omnes millies, * Hoc infinities * Alternis vocibus * Clamamus: Salve! * Hoc psallant Angeli, * Plaudant Archangeli * Aeternis cantibus: Maria salve!

4. Quot frondes nemorum, * Quot fructus arborum, * Tot linguae concinant: * Maria salve! * Quot campis stramina, * Quot pratis gramina, * Tot voces accinant: * Maria salve!

5. In altis montibus, * Profundis fontibus, * Vox ista consonet: * Maria salve! * Ex imis vallibus, * Angustis callibus * Vox ista resonet: * Maria salve!

6. Ex toto pectore, * Prostrati corpore, * In hoc exilio * Clamamus: Salve! * Cum mors advenerit * Et diem clauserit, * Cum tuo Filio * Maria salve!

29.

1. Ave maris stella,

* Dei mater alma, * Atque semper virgo, * Felix coeli porta.

2. Sumens illud Ave * Gabrielis ore, * Funda nos in pace, * Mutans Hevae nomen.

3. Solve vincla reis, * Profer lumen caecis, * Mala nostra pelle, * Bona cuncta posce.

4. Monstra te esse matrem, * Sumat per te preces, * Qui pro nobis natus * Tulit esse tuus.

5. Virgo singularis, * Inter omnes mitis, * Nos culpis solutos, * Mites fac et castos.

6. Vitam praesta puram, * Iter para tutum, * Ut videntes Jesum, * Semper collaetemur.

7. Sit laus Deo Patri, * Summo Christo decus, * Spiritui sancto, * Tribus honor unus. Amen.

30.

Inviolata, integra et casta es, Maria, * Quae es effecta fulgida coeli porta. * O Mater alma Christi carissima, * Suscipe pia laudum praeconia. * Nostra ut pura pectora sint et corpora, * Te nunc flagitant devota corda et ora; * Tua per precata dulcisona, * Nobis concedas veniam per saecula.

V. O benigna! o regina! o Maria! quae sola inviolata permansisti,

R. Intercede pro nobis ad Dominum.

31.

1. Omni die dic Mariae * Mea laudes anima: * Eius festa, eius gesta * Cole devotissima.

2. Contemplare et mirare * Eius celsitudinem: * Dic felicem genitricem, * Dic

beatam Virginem.

3. Ipsam cole, ut de mole * Criminum te liberet, * Hanc appella, ne procella * Vitiorum superet.

4. Haec persona nobis dona * Contulit coelestia; * Haec regina nos divina * Illustravit gratia.

5. Lingua mea, dic trophaea * Virginis puerperae, * Quae inflictum maledictum * Miro transfert germine.

6. Sine fine dic Reginae * Mundi laudum cantica, * Eius bona semper sona, * Semper illam praedica.

7. Omnes mei sensus ei * Personate gloriam; * Frequentate tam beatae * Virginis memoriam.

8. Nullus certe tam disertae * Extat eloquentiae, * Qui condignos promat hymnos * Eius excellentiae.

9. Omnes laudent, unde gaudent, * Matrem Dei Virginem; * Nullus fingat, quod attingat * Eius celsitudinem.

10. Sed necesse quod prodesse, * Piis constat mentibus. * Ut intendam, quo impendam * Me ipsius laudibus.

11. Quamvis sciam, quod Mariam * Nemo digne praedicet, * Tamen vanus et insanus * Est, qui illam reticet.

12. Cuius vitae eruditae * Disciplina coelica, * Argumenta et figmenta * Destruxit haeretica.

13. Huius mores tanquam flores, * Exornant ecclesiam, * Actiones et sermones * Miram praestant gratiam.

14. Evae crimen

nobis limen * Paradisi clauserat, * Haec dum credit et obedit, * Coeli claustra reserat.

15. Propter Evam homo saevam * Accepit sententiam: * Per Mariam habet viam, * Quae ducit ad patriam.

16. Haec amanda et laudanda * Cunctis specialiter: * Venerari et precari * Illam decet iugiter.

17. Ipsa donet, ut, quod monet * Natus eius, faciam: * Ut finita carnis vita. * Laetus hunc aspiciam.

18. O cunctarum feminarum * Decus atque gloria! * Quam electam et evectam * Scimus super omnia.

19. Clemens audi, tuae laudi * Quos instantes conspicis: * Munda reos, et fac eos * Donis dignos coelicis.

20. Virga Jesse, spes oppressae * Mentis et refugium; * Decus mundi, lux profundi, * Domini sacrarium.

21. Vitae forma, morum norma, * Plenitudo gratiae: * Dei templum, et exemplum * Totius iustitiae.

22. Virgo salve, per quam valvae * Coeli patent miseris: * Quam non flexit, nec allexit, * Fraus serpentis veteris.

23. Generosa et formosa * David regis filia, * Quam elegit Rex, qui regit * Et creavit omnia.

24. Gemma decens, Rosa recens; * Castitatis lilium: * Castum chorum ad polorum * Quae perducis gaudium.

25. Actionis et ser-

monis * Facultatem tribue, * Ut tuorum meritorum * Laudes promam strenue.

26. Opto nimis, ut imprimis * Des mihi memoriam, * Ut decenter et frequenter * Tuam cantem gloriam.

27. Quamvis muta et polluta * Mea sciam labia: * Praesumendum nec silendum * Est de tua gratia.

28. Virgo gaude, omni laude * Digna et praeconio: * Quae damnatis libertatis * Facta es occasio.

29. Semper munda et foecunda, * Virgo tu puerpera, * Mater alma, velut palma * Florens et fructifera.

30. Tuo flore et decore * Recreare cupimus: * Cuius fructu nos a luctu * Liberari credimus.

31. Pulchra tota, sine nota * Cuiuscumque maculae, * Fac nos mundos et iucundos, * Te laudare sedule.

32. O beata, per quam data * Nova mundo gaudia: Et aperta, fide certa, * Regna sunt coelestia.

33. Per te mundus laetabundus, * Novo fulget lumine, * Antiquarum tenebrarum * Exutus caligine.

34. Nunc potentes sunt egentes, * Sicut olim dixeras: * Et egeni fiunt pleni, * Ut tu prophetaveras:

35. Per te morum nunc pravorum * Relinquuntur devia: * Doctrinarum perversarum * Pulsa sunt ludibria.

36. Mundi luxus atque fluxus * Docuisti spernere: * Deum quaeri, carnem teri, * Vitiis resistere.

37. Mentis cursum tendi sursum, * Pie-

tatis studio: * Corpus angi, motus frangi, * Pro coelesti praemio.

38. Tu portasti, inter casti * Ventris claustra, Dominum * Redemptorem, qui honorem * Nobis reddit pristinum.

39. Mater facta sed intacta, * Genuisti Filium, * Regem regum, atque rerum * Creatorem omnium.

40. Benedicta, per quam victa * Hostis est versutia: * Destitutis spe salutis * Datur indulgentia.

41. Benedictus Rex invictus, * Cuius Mater crederis: * Increatus ex te natus, * Nostri salus generis.

42. Reparatrix; consolatrix * Desperantis animae! * A pressura, quae ventura * Malis est, me redime.

43. Pro me pete, ut quiete * Sempiterna perfruar: * Ne tormentis comburentis * Stagni miser obruar.

44. Quod requiro, quod suspiro, * Mea sana vulnera, * Et da menti, te poscenti, * Gratiarum munera.

45. Ut sim castus, et modestus, * Dulcis, blandus, sobrius, * Pius, rectus, circumspectus, * Simultatis nescius.

46. Eruditus et munitus * Divinis eloquiis, * Timoratus et ornatus * Sacris exercitiis.

47. Constans, gravis, atque suavis, * Benignus, amabilis: * Simplex, purus et maturus, * Patiens et humilis:

48. Corde prudens, ore studens * Veritatem dicere: * Malum nolens, Deum colens * Pio semper opere.

49. Esto tutrix et adiutrix * Christiani

populi: * Pacem praesta, ne molesta * Nos perturbent saecula.

50. Salutaris stella maris, * Summis digna laudibus, * Quae praecellis cunctis stellis, * Atque luminaribus.

51. Tua dulci prece fulci * Supplices et refove: * Quidquid gravat vel depravat * Mentes nostras, remove.

52. Virgo gaude, quod de fraude * Daemonum nos liberas: * Dum in vera et sincera * Carne Deum generas.

53. Illibata et dotata * Coelesti progenie, * Gravidata, nec privata * Flore pudicitiae.

54. Nam quod eras, perseveras, * Dum intacta generas: * Illum tractans, atque lactans, * Per quem facta fueras.

55. Commendare me dignare * Christo tuo Filio: * Ut non cadam, sed evadam * De mundi naufragio.

56. Fac me mitem, pelle litem, * Compesce lasciviam: * Contra crimen da munimen, * Et mentis constantiam.

57. Non me liget, nec fatiget * Saeculi cupiditas: * Quae indurat et obscurat * Mentes sibi subditas.

58. Nunquam ira, nunquam dira * Me vincat elatio: * Quae multorum fit malorum * Frequenter occasio.

59. Ora Deum, ut cor meum * Sua servet gratia: * Nec antiquus inimicus * Seminet zizania.

60. Da levamen, et iuvamen * Tuum illis iugiter, * Tua festa, tua gesta * Qui colunt alacriter. Amen.

32.

1. O sanctissima, *

O piissima, * Dulcis virgo Maria! * Mater amata, * Intemerata, * Ora, ora pro nobis!

2. Tu solatium, * Et refugium, * Virgo, Mater, Maria! * Quidquid optamus, * Per te speramus, * Ora, ora pro nobis!

3. Ecce debiles, * Perquam flebiles, * Salva nos, o Maria! * Tolle languores, * Pelle dolores, * Ora, ora pro nobis!

4. Virgo respice, * Mater aspice, * Audi nos, o Maria! * Tu medicinam * Portas divinam. * Ora, ora pro nobis!

5. Tua gaudia * Et suspiria * Iuvent nos, o Maria! * In te speramus, * Ad te clamamus, * Ora, ora pro nobis!

33.

1. Stabat Mater dolorosa, * Iuxta crucem lacrymosa, * Dum pendebat Filius.

2. Cuius animam gementem, * Contristatam et dolentem, * Pertransivit gladius.

3. O quam tristis et afflicta * Fuit illa benedicta * Mater Unigeniti!

4. Quae moerebat et dolebat * Pia mater, cum videbat * Nati poenas inclyti.

5. Quis est homo, qui non fleret, * Christi Matrem si videret, * In tanto supplicio?

6. Quis posset non contristari, * Christi matrem contemplari * Dolentem cum filio?

7. Pro peccatis suae gentis * Vidit Jesum in tormentis * Et flagellis subditum.

8. Vidit suum dulcem Natum * Morientem desolatum, * Dum emisit spiritum.

9. Eia Mater, fons amoris, * Me sentire

vim doloris * Fac, ut tecum lugeam.

10. Fac, ut ardeat cor meum * In amando Christum Deum, * Ut sibi complaceam.

11. Sancta Mater, istud agas, * Crucifixi fige plagas * Cordi meo valide.

12. Tui Nati vulnerati. * Tam dignati pro me pati, * Poenas mecum divide.

13. Fac me tecum pie flere, * Crucifixo condolere, * Donec ego vixero.

14. Iuxta crucem tecum stare, * Et me tibi sociare * In planctu desidero.

15. Virgo virginum praeclara, * Mihi iam non sis amara, * Fac me tecum plangere.

16. Fac, ut portem Christi mortem, * Passionis fac consortem, * Et plagas recolere.

17. Fac me plagis vulnerari, * Fac me cruce inebriari, * Et cruore Filii.

18. Flammis ne urar succensus * Per te, Virgo, sim defensus * In die iudicii.

19. Christe cum sit hinc exire, * Da per matrem me venire * Ad palmam victoriae.

20. Quando corpus morietur, * Fac, ut animae donetur * Paradisi gloria.

34.

1. Regina coeli, iubila, * Gaude Maria! * :,: Iam pulsa cedunt nubila :,: Alleluia, laetare, o Maria!

2. Quem digna eras gignere, etc. * Vivus resurgit funere, etc.

3. Sunt fracta mortis spicula, etc. * Jesu iacet mors subdita etc.

4. Acerbitas solatium etc. * Luctus redonat gaudium etc.

5. Turpata sputis lumina etc. * Iam solis vincunt fulgura etc.

6. Manum pedumque vulnera etc. * Sunt gratiarum flumina etc.

7. Transversa ligni robora, etc. * Sunt sceptra regni fulgida etc.

8. Lucet arundo, purpura, etc. * Ut fulvae terrae viscera etc.

9. Catena, clavi, lancea, etc. * Sunt sceptra regni fulgida etc.

10. Ergo Maria plaudito etc. * Clientibus succurrito. etc.

35.

1. Salve Regina coelitum, o Maria, * Spes unica terrigenum, o Maria, * Iubilate Cherubim, * Exsultate Seraphim, * Consonate perpetim, * Salve, salve, salve Regina.

2. Mater misericordiae, o Maria, * Dulcis parens clementiae, o Maria, * Iubilate etc.

3. Tu vitae lux, fons gratiae, o Maria, * Causa nostrae laetitiae, o Maria, * Iubilate etc.

4. Spes nostra, salve, Domina, o Maria, * Exstingue nostra crimina, o Maria, * Iubilate etc.

5. Ad te clamamus exules, o Maria, * Te nos rogamus supplices, o Maria, * Iubilate etc.

6. Audi nos Evae filios, o Maria, * In te sperantes miseros, o Maria, * Iubilate etc.

7. Eia ergo, nos respice, o Maria, * Servos tuos ne despice, o Maria, * Iubilate etc.

8. Converte tuos oculos, o Maria, * Ad hosce tuos servulos, o Maria, * Iubilate etc.

9. Ostende tuum filium, o Maria, * Nobis post hoc exilium, o Maria, * Iubilate etc.

10. Redde cordis laetitiam, o Maria, * Per peccatorum veniam, o Maria, * Iubilate etc.

36.

1. Te Mariam laudamus, * te immaculatam confitemur.

2. Te reorum patronam, * omnes peccatores deprecantur.

3. Tibi omnes christiani, * et asceticae congregationes.

4. Tibi singuli sodales * in conceptione tua, * devote proclamant.

5. Immaculata, * Immaculata, * Immaculata, * o Virgo theotocos.

6. Nullus est, qui se abscondat * a calore tuo, aurora consurgens.

7. Te, dilectam Dei Patris filiam, * omnes Angeli praedicant.

8. Te admirabilem Verbi matrem * credit infernus, et contremiscit.

9. Te, Spiritus sancti sponsam, * piacula res flammae invocant.

10. Te, omnes ecclesiae filii, * totis praecordiis exsultant.

11. Matrem immensae misericordiae,

12. Carissimam sanctae Annae * et unicam filiam,

13. Dilectissimam a Deo, * Josephi sponsam.

14. Tu vena * veniae Maria.

15. Tu singularis * Mater es gratiae.

16. Tu ad redimendum * genus humanum, * Dei filium suscepisti.

17. Tu Gabrieli dato consensu, * gaudium peperisti universo mundo.

18. Tu, Regina, * a dextris Dei stas,

* circumdata varietate,

19. Mediatrix ut sis * Dei et hominum.

20. Te ergo, quaesumus, * nobis subveni, * qui tuam * nominatim illibatam Conceptionem * solemniter celebramus.

21. Aeterna fac * Angelorum beatitate donari.

22. Protege * tuos alumnos, * et tuere fasciculum * haereditatis tuae.

23. Et fove illos, * et foecunda in operibus virtutum.

24. Tuis solemnibus congregamur * ad benedicendum tibi.

25. Et extollimus nomen Mariae, * super omne nomen amabile.

26. Dignare per purissimam conceptionem tuam, * nos a peccato praeservare.

27. Ostende pro famulis tuis * filio tuo, * ubera quibus eum nutrivisti.

28. Ut ostendat Patri suo * Unigenitus * latus et vulnera;

29. Nulla erit repulsa, * ubi talia erunt caritatis insignia.

30. Te decet laus, * te decet hymnus, tibi iubilus, * in conceptione tua immaculata, * o Maria! * ab universa creatura. Amen.

V. Tota pulchra es, amica mea,

R. Et macula non est in te.

37.

1. Virgo virginum praeclara, * Praeter omnes Deo cara * Dominatrix coelitum, * Fac nos pie Te cantare, * Praedicare et amare, * Audi vota supplicum.

2. Quis est dignus, laude digna, * Te lau-

dare, o benigna * Virgo, fons charismatum! * Gratiis es tota plena, * Tota pulchra et serena, * Dei tabernaculum.

3. O quam magna Tibi fecit, * Qui potens est, et adiecit * Gratiam ad gratiam! * Qui coelumt terramque regit, * Matrem sibi Te elegit, * Sponsam atque filiam.

4. Ante mundum Te dilectam * Et prae omnibus electam, * Coelorum delicias, * A peccato non redemit, * Sed iam antea exemit * Emptorum primitias.

5. Virgo, vere benedicta, * Culpa numquam es obstricta * Hocce in exilio; * Sine labe es concepta, * Magno lapsui erepta * Summo privilegio.

6. Contendebat certatura * Tunc cum gratia natura, * Gratia praevaluit; * A peccato praeservatam * Immunemque illibatam * Mire Te constituit.

7. Eva nova novae legis. * Praeelecta summi regis, * Consors eius gloriae, * Tu draconem domuisti, * Forti pede contrivisti * Victrix caput satanae.

8. Semper fulgens munda stola, * Inter mundas munda sola, * Ascendisti sidera; * Super agmina Sanctorum, * Super choros Angelorum * Sceptra geris Domina.

9. Oras nunc a dextris Nati, * Iugo solvat ut peccati, * Quos redemit Sanguine; * Manus Tuae stillant dona, * Vitae fac coelestis bona * Et in nos defluere.

10. Esto nobis maris stella, * Ne nos

fluctuum procella * Navigantes obruat; * Ex qua salus est exorta, * Esto nobis coeli porta, * Quae ad vitam pateat.

11. Virgo clemens, virgo pia, * Duc secura nos in via * Vitae per exilium; * Nos, o Mater, hic tuere, * Olim istic fac videre * Te tuumque Filium.

12. Fac, Te duce, nos orare, * Vigilare et certare, * Certos Tuae gratiae; * Funde nobis pia dona, * Custos, mater et patrona * Sanctae sis Coloniae. (Ecclesiae.)

13. Fac nos stare fide vera, * Caritate, spe sincera, * Absque culpae macula; * Gregem Tibi sic dicatum, * Iam a patribus sacratum * Protegas in saecula.

9. DE SANCTIS.

38.

1. O gens beata coelitum * Sanctorum phalanx principum. * O quanta Dei gratia * Inundat vos per omnia. * Supremus vobis Dominus * Summum bonum dat cominus, * Quo frui licet omnibus.

2. O quanta super sidera * Vibratis omnes lumina, * Splendore solem vincitis * Et quidquid micat sideris, * Et si qua stella clarius * Fulgeret, quam sol aureus. * Lux vestra maior omnibus

3. Corpus crystallo purius, * Ut sol refulget animus, * Venae corallo similes * Nec auri filo dispares; * In venis sanguis gratius * Flagrabit, rosis suavius, * Et balsamo iucundius.

4. In paradiso vivitis, * Florum corollas plectitis, * Rosas miscetis liliis * Ligustra cum narcissulis; * Flos unus hic cultissimus * Plus mille voluptatibus * Puris redundat mentibus.

5. Hic mensa semper epulis * Instructa manet coelicis * Cum Deo vos accumbitis * Eius fruentes ferculis. * Hic nulla desunt dulcia * Haud nectar, haud ambrosia * Illis abundant omnia.

6. O quanta hic sunt gaudia * Quam dulcis sonat musica * Quae vocum hic concordia, * Quae fidium harmonia! * O quam miscetur dulciter, * Quam tinniunt suaviter, * Nil est auditum taliter,

7. Deum videtis Principem * De facie ad faciem, * Ex quo vobis coelestia * Nascuntur tanta gaudia * Quanta nec vidit oculus * Nec ullus cepit auribus * Hic mundus sordet omnibus.

39. De s. Josepho.

1. Salve pater Salvatoris, * Salve custos Redemptoris. * Joseph ter amabilis * Salve sponse Matris Dei, * Salve hospes Jesu mei, * Joseph ter mirabilis.

2. O iucundum et beatum, * O felicem vitae statum, * Dum nutristi Dominum, * Dum fideliter servisti, * Et Utrumque custodisti, * Matrem atque Filium.

3. Jesum oculis vidisti, * Et in brachiis tulisti, * O suavis felicitas! * Genis genas admovisti, * Oscula dans accepisti * O felix suavitas!

4. Modo Deum appellasti * Modo Regem nominasti, * In-

ter mille gaudia: * Modo Patrem adorandum, * Modo Natum adamandum, * Inter mille basia.

5. Cum Maria conversari, * Atque Jesum amplexari, * O quantae deliciae! * Illum brachiis tenere, * Atque totum possidere, * O quantae divitiae!

6. Cor amore diffluebat, * Flamma flammam nutriebat * Felici incendio: * Quando Parvulum tulisti, * Vel in Matris aspexisti * Blandientem gremio.

7. Quae dulcedo tam immensa * Et quae flamma tam intensa * Cor magis accenderet? * Quae plus consolationis, * Aut plus delectationis, * Pectori submitteret?

8. Solus ille probe novit * Hoc, qui suo sinu fovit * Amoris incendium: * Solus ille degustavit, * Qui sic Matrem adamavit, * Et cum Matre Filium.

9. Ambo Tibi servierunt, * Ambo subditi fuerunt * Toto vitae spatio: * Ambos semper honorasti, * Ambos intime amasti * Summo cum solatio.

10. Mater cibos praeparabat, Natus tecum laborabat, * O divinum socium! * Post laborem consedistis, * Atque dulcem habuistis * Mensam et colloquium.

11. Dulces noctes, dulcis quies, * Dulcis labor, dulces dies, * Dulcis conversatio! * Cum utroque habitare, * Cum utroque manducare, * Quanta consolatio!

12. Vitam demum dum clausisti * Ambos tecum habuisti * Circumdantes lectulum:

* Hinc et hinc utrumque stantem, * Cernens et te consolantem * Tradidisti Spiritum.

13. O quam sancta, quam devota * Fuit tua vita tota, * O quam laetus exitus! * Inter Jesu et Mariae * Manus emori tam pie, * O quam felix obitus!

14. Quis est homo, qui servire * Tibi nollet et ambire * Tuam semper gratiam? * Quis non vellet te amare, * Aditum per te sperare * Ad coelestem patriam?

15. O Josephe! plus amande, * Et prae cunctis honorande, * O flos pudicitiae! * Tibi tanta sors est data, * Quanta nulli est collata * Ab auctore gratiae.

16. O felicem et beatum, * Cui protegi est datum * Tuo sub praesidio! * Et qui meruit habere * Te patronum et gaudere * Tuo patrocinio.

17. O Josephe, mi patrone, * Inter tuos me repone, * Me clientem suscipe: * Volo semper Te amare * Semper volo Te laudare, * Tu me semper protege.

18. Tu indignum me dignare * Tuae sponsae commendare, * Atque tuo Filio: * Vobis cupio placere, * Vos propitios habere * Omnes tres desidero.

19. Istud Trinum cui favet, * Laetus ille nunquam pavet * Ullo in periculo: * Qui sub huius Trini scuto * Latet, vivit ille tuto, * Moritur cum gaudio.

20. O mi Jesu! Tuae Matris * Preces, et Josephi Patris * Semper clemens respice: * Et illorum

per amorem * Rogo Te et per honorem, * Tu me numquam desere.

21. O Maria! Mater Dei, * O patroni sponsa mei * Mihi sis propitia! * Per illius sanctum florem, * Rogo Te, et per amorem, * Mihi fer auxilia.

22. O mi Joseph honorande, * Et ab omnibus amande, * Tu scis, quia amo Te: * Da, ut magis Te amare, * Et plus possim honorare * Toto semper pectore.

23. O mi Jesu! o Maria! * o Josephe! mente pia * Semper Vobis serviam! * Vos iuvate, ut servire * Digne possim, et venire * Ad coelestem patriam.

24. O si possim vos videre, * Et in aevum congaudere * In coelesti curia! * O si summe Vos amare * Possim semper, et laudare * In aeterna gloria! Amen.

39. De SS. Ignatio et Francisco Xaverio.

1. O Ignati militantis * Clara fax ecclesiae! * O Xaveri deviantis * Sidus et lux Indiae! * Vos honorent, quotquot ambit * Phoebus orbis climata, * Quaque pontum sero lambit, * Quaque tollit lumina.

2. Vera virtus cum ruebat * Pressa pravo dogmate. * Hanc Loyola fulciebat * Nixus uno Numine; * Sic Xaveri te docente * Credit orbis Indicus: * Inde natum cum parente * Tollit aether laudibus.

3. Vos cubile solis orti * Et cadentis respicit; * Vestra durae cura sorti * Quot clientes eripit! * Nos

fovete, nos tenete, * Ne cadamus noxii, * Tramitemque nos docete, * Quem premamus integri.

4. Sol nitente cum sorore * Jungat etsi lumina, * Aureoque clarus ore * Vibret axe spicula; * Cedit illi, quo sedetis * Inclyti subsellio, * Regiaeque, quam tenetis, * Axis in palatio.

5. Nulla durae tela sortis, * Nulla fati vulnera, * Ipsa nec pericla mortis, * Nulla mundi munera, * Vos amore separarunt * Proximi vel Numinis, * Vos beatis avocarunt * Coelitum commerciis.

6. Quot nefandis explicatis * Criminum complexibus! * Quot beatis aligastis * Sanctitatis nexibus! * Trado vobis me regendum, * Ad salutem ducite: * Corpus et cor do tuendum, * Oro, me defendite.

7. Vos polique, vos solique * Bina luminaria, * Infimique, maximique * Sicut exemplaria * Intuentur obstupentes, * Lumen, oro, spargite; * Ne premantur fortes mentes * Criminum caligine.

8. O patroni, vos amore, * Vos honore prosequor * Corde laudo vos, et ore, * Voce, mente comprecor. * Vos faventi verba vultu * Comprecantum cernite, * Proque vestro vota cultu * Ne clientum spernite. * Vestra nobis impetrate, * Nosse nos vestigia: * Vestra (Numen invocate) * Nos videre lumina. * O nitenti quando sole * Illa lux se proferet, * Corporisque quando mole * Illa sors nos eximet.

40. De s. Aloysio.

1. Salveto centies, salveto millies * Flos paradisi, * Confirma debiles nos tibi supplices * O Aloysi.

2. Salveto lilium, candens convallium * O Aloysi. * Tu coeli gaudium, terrae delicium * Flos paradisi.

3. Tu princeps virginum et honor iuvenum * Flos paradisi, * Candorem virgini, pudorem iuveni * Da Aloysi.

4. Inter sodalium coetus es omnium * Flos paradisi * Quod inter vallium spinas est lilium * O Aloysi.

5. Inter terrigenas mentis integritas * Flos paradisi * Te facit Angelum virtute coelitum * O Aloysi.

6. Fac Aloysios culparum nescios * Flos paradisi, * Sim Aloysius culparum nescius * O Aloysi.

7. Fac, ut sim Angelus tibi simillimus * O Aloysi * Castum purissimum fac me parthenium * Flos paradisi.

8. Deinde subditos nos tibi servulos * Flos paradisi * Castos et integros fac et angelicos * O Aloysi !

Index.

Pag.

Calendarium.

Preces matutinae 1

Oratio Dominica 2

Salutatio Angelica 2

Symbolum Apostolorum 2

Praecepta Decalogi 3

Praecepta Ecclesiae 3

Actus Fidei 3

Actus Spei 3

Actus Caritatis 4

Actus Contritionis 4

Salve Regina 4

O Domina mea 6

Angele Dei 6

Fiducia in Deum 7

Ad quemlibet horae pulsum 7

Preces Vespertinae 8

Examen particulare conscientiae . . . 9

Examen generale conscientiae 10

O fidelissime custos 11

De profundis 12

Preces sub s. sacrificio Missae persolvendae 14

1. Preces missae prout a sacerd. etc. . 14

2. Alius modus audiendi sacrum . . . 33

3. Missa pro defunctis 50

Dies irae 52

Libera 60

Preces ante et post studia persolvendae 61

Ante studia 61

Post studia 63

Pag.

Salutatio angelica 63

Preces ante et post prandium et coenam persolvendae 64

Preces ante et post confessionem persolvendae 65

Orationes praeparatoriae 65

Examen conscientiae 71

Actus contritionis 73

Alius modus eliciendi actum contricionis et propositi 74

Tertius modus eliciendi actum contritionis et propositi 76

Post confessionem preces et consideratio 78

Psalmi poenitentiales 85

Preces ante et post ss. Communionem persolvendae 99

Instructio 99

Ante ss. Communionem 101

Oratio s. Ambrosii 101

Oratio s. Thomae Aquinatis 102

Actus fidei 103

Actus reverentiae 104

Actus humilitatis 105

Actus spei 106

Actus amoris 106

Invocatio Patronorum 107

Post ss. Communionem 108

Actus adorationis 108

Adoro te devote latens Deitas . . 108

Actus admirationis 109

Gratiarum actio 109

Actus oblationis 110

Actus amoris 110

Pag.

O Deus ego amo te 110
Petitiones 111
Domine Jesu, noverim me 112
Oratio s. Thomae Aquinatis 112
Oratio s. Bonaventurae 113
Oratio ad B. M. V. 114
Brevior gratiarum actio 115
Ad quem diu suspiravi 115
Anima Christi 117
Preces ad lucrandas indulgentias . . 117
Consideratio et orationes deliberantis de vitae statu eligendo 122
Methodus vitae Christianae 127
Preces in visitatione ss. Sacramenti persolvendae 135
Litaniae de sanctissimo Sacramento . . 138
Actus consecrationis ad ss. Cor Jesu . 144
Piae aspirationes ad Cor Jesu 145
Litaniae de ss. Corde Jesu 146
Commemoratio cordis B. M. V. 148
Litaniae de ss. Nomine Jesu 149
Psalmi Vesperarum 153
Vesperae dominicales 153
Psalmi vesperarum, qui dicuntur praecipuis festis diebus 159
A. Diebus festis Domini nostri Jesu Christi 159
1. Festo Nativitatis 159
2. Festo Circumcisionis 161
3. Festo Epiphaniae 163
4. Festo Paschatis 164
5. Festo Ascensionis 164
6. Festo Pentecostes 164
7. Festo Corporis Christi 164

Pag.

B. Diebus festis Sanctorum 165
1. Diebus festis B. M. V. 165
2. Diebus festis ss. Apostolorum . . 165
3. Diebus festis ss. Martyrum . . . 168
4. Diebus festis ss. Pontificum . . . 168
5. Diebus festis ss. Confessorum . . 168
6. Diebus festis ss. Virginum, Mulierum, Viduarum 169
7. Festo omnium Sanctorum . . . 169
8. Festo Anniversario Dedicationis ecclesiae 169
Vesperae pro defunctis 169
Completorium 172
Hymnus ss. Ambrosii et Augustini „Te Deum“ 182
Symbolum s. Athanasii 184
Professio fidei Tridentina 187
Devotio erga B. M. V. 191
Officium de immaculata conceptione B.M.V. 191
Litaniae Lauretanae 197
De modo recitandi rosarium B. M. V. . 200
Orationes variae ad B. M. V. 203
Versiculi et orationes pro singulis festis B. M. V. 215
Devotio erga s. Josephum 222
Officium parvum de s. Josepho . . . 222
Litaniae de s. Josepho 226
Variae orationes ad s. Josephum . . . 229
Devotio erga s. Aloysium 232
Officium parvum de s. Aloysio 232
Litaniae de s. Aloysio 237
Orationes ad s. Aloysium 240
Litaniae de omnibus Sanctis 242
Orationes diversae 251

Pag.

1. Oratio universalis pro impetrandis omnibus ad salutem nostram spectantibus 251
2. Oratio pro qualibet rea Deo impetranda 252
3. Oratio tam pro privatis quam pro publicis necessitatibus 254
4. Oratio s. Thomae Aquinatis, qua virtutes christiani hominis petuntur . 256
5. Oratio pro impetrauda animae et corporis puritate 258
6. Oratio ad petendam victoriam de pravis inclinationibus 259
7. Oratio ad petendam sapientiam . . 261
8. Oratio pro impetranda patientia . . 261
9. Oratio pro impetrando timore Dei . 263
10. Oratio pro vera spe impetranda . . 264
11. Oratio pro caritate consequenda . . 265
12. Oratio pro felice morte impetranda . 266
13. Oratio contra superbiam 86
14. Oratio contra avaritiam 88
15. Oratio contra iram 90
16. Oratio contra luxuriam 92
17. Oratio contra gulam 95
18. Oratio contra invidiam 96
19. Oratio contra acediam 98
20. Oratio pro ecclesia 272
21. Oratio s. Francisci Xaverii pro conversione gentium, haereticorum et peccatorum 273
22. Oratio pro variis hominum statibus . 273
23. Oratio pro parentibus et praepositis . 274
24. Oratio ad s. patronum, cuius quis nomen habet 275

Pag.

25. Oratio ad S. patronum studiosorum v. g. S. Augustinum, Thomam Aquinatem, vel alium similem 276
26. Oratio ad S. Catharinam, patronam studiosorum 276
27. Oratio ad omnes Sanctos 277
28. Oratio pro defunctis 277

Meditationes pro singulis diebus mensis 278

1. De fide 278
2. De fine hominis 279
3. De contemptu mundi 280
4. De morte 282
5. De extremo iudicio 283
6. De inferno 284
7. De aeternitate poenarum inferni . . 286
8. De paradiso 287
9. De praesentia Dei 288
10. De cura salutis 290
11. De horrore peccati 291
12. De poenitentia 293
13. De non differenda conversione . . . 294
14. De respectu humano 295
15. De agnitione propriae infirmitatis . 297
16. De usu gratiarum 298
17. De usu temporis 299
18. De usu Sacramentorum 300
19. De sacrificio Missae 301
20. De eleemosyna 303
21. De dando bono exemplo 304
22. De tolerantia adversorum 306
23. De conformitate cum voluntate divina 307
24. De fiducia in Deum 308
25. De amore Dei 309
26. De amore Jesu Christi 310

Pag.
27. De amore proximi 312
28. De dilectione inimicorum 313
29. De imitatione Christi 314
30. De devotione erga Beatissimam Virginem 315
31. De fervore in servitio divino 317
Hymni et cantica 318
Adoro te devote 108
Ad quem diu suspiravi 115
Ad regias Agni dapes 331
Aeterne Rex altissime 339
Alma coelestium 341
Altitudo quid hic 321
Anima Christi 117
Audi benigne Conditor 327
Ave maris stella 341
Ave verum corpus 340
Cor Jesu, cor purissimum 340
Cor meum tibi dedo 321
Creator alme siderum 319
Dies irae 52
Domine Jesu, noverim 112
En clara vox 318
Huc ad regem 322
Jesu dulcis memoria 322
Inviolata, integra 342
Ite moesti 328
Lauda Sion 335
Magnificat 158
Nunc dimittis 177
O adoranda Deitas 334
O Christe pendes 239
O Deus, ego amo 110
O gens beata coelitum 354

	Pag.
O Ignati militantis	358
Omni die	342
O populo mi	327
O sanctissima	347
Pange lingua ... corporis	336
Pange lingua ... lauream	330
Pone luctum Magdalena	332
Puer natus est	320
Regina coeli iubila	349
Regina coeli laetare	181
Sacris solemniis	337
Salutis humanae Sator	338
Salve regina coelitum	350
Salve regina mater	181
Salve pater Salvatoris	355
Salveto centies	360
Stabat mater	348
Te Deum laudamus	182
Te lucis ante	176
Te Mariam laudamus	351
Veni Creator Spiritus	332
Veni sancte Spiritus	333
Veni veni Emanuel	319
Vexilla regis prodeunt	329
Verbum supernum	338
Victimae paschali laudes	330
Virgo virginum praeclara	352

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Schneider, Joseph, 1824-1884

Medulla pietatis Christianae sive libellus precum pro adolescentibus litterarum studiosis

Coloniae 1868

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/Asc.1100
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11082901-1